



**In Testamenti novi majorem partem, hoc est, in Euangelia & Epistolas Pauli omnes, poëmata carmine disertissimo à uarijs & doctis, cum præteriti tum nostri temporis Poëtis, in gratiam studiosorum poëticæ artis, collecta et ædita.**

<https://hdl.handle.net/1874/416877>

I N

**TESTAMENTI**

NOVI MAIOREM PARTEM, HOC  
est, in Euangelia & Epistolas Pauli om-  
nes, poemata carmine disertissimo à ua-  
rijs & doctis, cum præteriti tum no-  
stri temporis Poëtis, in gra-  
tiam studiosorum poëti-  
cæ artis, collecta et  
ædita.

*Quorum nomina uersa pagella  
indicabit,*

**B A S I L E A E,**



# A V T O R V M N O

M I N A.

**I**oannes Spangebergius Herdesianus in Euangelia do  
minicalia.

Ioannes Calceatus Minorita de Passione Domini.

Arator Subdiaconus Cardinalis in Acta Apostolorum.

Franciscus Bonadus Angerie presbyter in omnes Epi  
stolas Pauli.

Aurelij Prudentij Enchiridion noui & ueteris Testa  
menti.

Hermanni Buschij carmen de Christo mediatore.

B A S I L I E

BARPTHOLOMAEVS VVESTHEMĒ  
*rus Phorzensis candido lectori.*

**N**Emini non constat, inter omnia  
scriptorum genera, quæ ubiq; ex-  
tant, quorum magnus est numerus, nul-  
lum esse quod magis ingenia exerceat  
ac oblectet, quàm carmen à doctissimis  
Poëtis confectum, maxime quod diuin-  
na eloquia explanat pertractatq;. Nam  
etiã certamen inter doctos est, utri prio-  
res legendi, Poëtæ an Oratores. Lectio-  
nem autem Poëtarū priorem ire oport-  
tere maximæ causæ rationesq; confir-  
mant. Nam carmen, ut quidam inquit,  
ornatius est atq; iucundius, ut res ad uo-  
luptatem comparata, quod numerus e-  
ius certus, & eodem modo conscriptus,  
artificioso & composito pede cum uolu-  
ptate fertur. Primū oblectat aures mol-  
lioris ætatis, deinde in animum procli-  
uius illabitur, inq; diuturnum tempus  
memorię se figit. Itaq; cecinit Horatius.

*Os tenerum pueri, balbumq; poëta figurat.*

Doctissimi nimirum sunt boni poëtæ, &  
diuino

EPISTOLA NVNCVP.

diuino quodam numinis afflatu concitati, immortale quiddā ac cœleste spirant, concinnitate mirabiles, lumine uerborum conspicui, modulatione numerorum suauissimi. Optimos quosq; naturalic ad carminū modos effinxit, lic ad argutum genus orationis inclinauit, ut si cum ipsis arte certare uelis, neq; dictione lectius quicquam, neq; sono temperatum magis, neq; compositione modulatius inuenire possis, &c. Lege hac de re

Jacobum Lodouicum Strebæum

libro i. cap. 6. de uerb. Elect.

& Coll. Vale Basileæ

M. D. XLII.

# DOMINICA PRIMA

MA ADVENTVS.

Matthei XXI.



CHRISTVS ubi cliuum montis  
conscendit oliuæ  
E socijs binos mittit, quibus ista  
profatur.  
Ite in castellum, quod coram cer-  
nitis, ite.

Hic asinam & pullum solitum ad præsepe ligatos  
Inuenietis ait, confestim adducite, Si quis  
Forte rogat, uestro narrate opus esse magistro,  
Mox dimittet eos. Hi iussa fideliter implent,  
In biuio soluunt peccudes, De astantibus unus  
Quid facitis dixit soluentes pullum asinamq; ?  
Illi, ut prædocti, dicunt opus esse magistro,  
Adducunt, uestemq; locant, præbentq; sedendum  
Obuia saluifico recinit plebs cantica Christo,  
Et uirides refecat frondes, terramq; coronat  
Floribus & magna Christum cum laude salutat.  
Quaq; iter est Christo, populi exultantis amictus  
Sternitur & pueri Dauid de germine regem

EVANG. CARMINVM

Ore canunt, ducuntq; choros, geminantq; triumphos,  
Gloria in excelsis, pax in coelestibus aulis,  
Nomine qui uenit in domini, rex sit benedictus  
Sic Solymorum urbem Christus penetravit a fello,  
Et templum ingressus docuit mandata parentis.

DOMINICA II. ADVENTVS

Luce XXI.

**I**N Sole & Luna & stellis ingentia fient  
Prodigia, in terris populi pressura timentia  
Præ sonitu & magno tabescent æquoris æstu,  
Tunc ueniet Christus iudex in nubibus altis,  
In uirtute Dei, atq; in maiestate potenti.  
Hæc ubi signa aderunt, oculos attollite læti,  
Respicite, atq; meis sursum qui fuditis armis,  
Nam uestra in cœlis & uita salusq; propinquant  
Sicut ubi ficus uernali germinat aura,  
Non procul æstatis declarat adesse decorem,  
Sic satis ostendunt ea signa nouissima mundi,  
Et propè adesse Dei regnum immortale potentis.  
Omnia transibunt, semper mea uerba manebunt.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Matthei XI.

**V**inctus Ioannes cum facta audisset Iesu,  
Discipulos misit binos, qui talia promant.

Tu ue



LIBER PRIMVS.

Tu ne pios homines uenisti soluere Christe?  
 An post hac superest aliam sperare salutem?  
 Ferte ait, hæc uestro Christus, responsa magistro,  
 Lumina cæca uident, uox redditur optima mutis  
 Incedunt claudi, surdis referantur & aures,  
 Lurida lepra fugit, defuncta q; corpora surgunt,  
 Pauperibus uitæ æternæ bona nuncia dantur,  
 Et foelix fuerit qui non offensus in illo.  
 Hinc ait ad populum Christus, quid quæso uidere  
 Mollibus indutum incultas uenistis in oras?  
 Mobilis hic non est quæ à uento agitur arundo  
 Hic uerus uates, de quo dixere prophete,  
 Quem pater ante suum completo tempore gnatum  
 Præmittit formare uiam, reuocare uagantes  
 Dico etenim uobis, Inter natos mulierum  
 Maior in hoc mundo surrexit nemo Ioanne.

DOMINICA IIII. ADVENTVS

Ioannis I.

**I**udei à Solymis templi misere ministros  
 Querere Ioannem, num sit Christus uel Helias,  
 Aut aliquis uatum. Respondit, Vox ego clamans  
 Dirigite heus callem Domino, sit recta uiarum  
 Semita mox aderit Christus dominusq; deusq;  
 Cur, igitur dicunt, si non Christus uel uel Helias,  
 Abluis omnigenam sacro baptisate plebem?

EVANG. CARMINVM

Reddit Ioannes, maculas in flumine purgo  
 Sed medius uestrum stetit, hic spiramine sancto,  
 Et flammis hominum purgabit pectora spurca  
 Cuius uincla pedum non sum contingere dignus.  
 Bethbara conspexit facta hæc ad Iordanis amnem.

IN NATALICIIS CHRISTI.

Lucæ II.

**M**iserat edictum subiecta per oppida Cesar,  
 Et redigi in scriptis totum mandauerat orbem  
 Ergo omnes ibant nomen censumq; daturi  
 Præsidibus, uenit ad Dauidis mœnia Ioseph  
 Coniuge cum grauida, mox isto in tempore Christus  
 Nascitur intacta Maria de uirgine Iesus.  
 Suscipit infantem mater, pannisq; uolutum  
 In præsepe locat iumentorumq; sub ora.  
 Hac regione pecus uigiles tenuere per arua  
 Pastores, cœlo quibus angelus astitit alto.  
 Ponite corde metum, dixit, noua gaudia porto.  
 Nam uobis hodie est natus Dauidis in urbe  
 Saluator mundi, uobis hoc sumite signum,  
 Infantem uili cinctum inuenietis amictu.  
 Illico diuorum se adiunxit turba canentum  
 Gloria in excelsis sit summo æterna parenti,  
 Pax noua terrigenis, bona semper ubiq; uoluntæ

Cætus

LIBER PRIMVS.

Coetus ut angelicus caeli secreta reuifit,  
 Pastores Bethlehem ueniunt, puerumq; iacentem  
 Cum matre in stabulo offendunt pannisq; uolutum.  
 Vndiq; mox tanti spargunt miracula facti,  
 Laudantesq; Deum uoto, in sua septa redibant.

DOMINICA NATIUITATIS

Luce II.

**M**irantur Christi senioris dicta parentes  
 At benedixit eis, matriq; infanda canebat  
 Heus puer iste tibi fletus lachrymasq; ciebit,  
 Huius ad aspectum multi surgentq; cadentq;  
 Huic populo infandum contradicetur ab omni,  
 Perq; tuum pectus gladius transibit acutus,  
 Idq; ideo ut cordis multorum occulta patefiant.  
 Anna aderat longæua, Deo quæ coniuge sancto  
 Sedula seruiuit templo noctesq; diesq;  
 Hæc Christum agnouit, cunctisq; inculcat Iesum.  
 Omnibus expletis, patrios petiere penates.  
 Et puero accreuit sapientia summa parentis  
 Omniaq; , in uultu & uerbis, ueneranda nitebant.

CIRCUMCISIONIS DOMI-

ni Luce II.

**I**am pueri octauam uoluebant sidera lucem,  
 Indige



EVANG. CARMINVM

Indigenæ iuxta morem legesq; paternas  
 Infantis pueri, genitalia membra secantur  
 Impositumq; illi est præclarum nomen Iesus,  
 Quod quondam Mariæ prædixerat angelus alto.

EPIPHANIAE.

Matthei II.

**C**VM serus Herodes regalia sceptrâ teneret  
 En noua ab Eoo præclari luminis orbe  
 Stella Magos duxit, Christi ad præsepia nati.  
 Hierusalem ueniunt, sese uidisse fatentur  
 Stellam regalis pueri, stupet impius et mox  
 Pontifices uocat & Scribas, scrutatur ab illis,  
 Quod Christi natale solum? quo sanguine cretus?  
 Illi confestim monstrant uatemq; locumq;.  
 Clam uocat ille Magos, scrutans bene tempus & horâ  
 Sideris exorti, hinc Christi ad cunabula mittit  
 Callidus & rabido seruans sub pectore uulpem.  
 Vt regem audierant, peregrunt Dauidis ad urbem,  
 Testa subintrantes Christum reuerenter adorant,  
 Qui postquàm puero nato tria dona dedere,  
 Aurum, thus, Myrrham, regi q; homini q; Deo q;.  
 Responso in somnis accepto coelitus, inde  
 Ad patrios aliud per iter rediere penates.

Purifica

LIBER PRIMVS.

PVRIFICATIONIS MARIAE

**P**Vrgari gentrix ueterum de more uolebat  
 Attulit in templum ueneranda puerpera Christi  
 Munera pro gnato pullos de more columbæ  
 Obtulit, hæc inopum fuerat tunc hostia matrum.  
 Ecce fuit Solyma senior uenerandus in urbe  
 Vir pius expectans populiq; suamq; salutem  
 Huic responsa dedit de cælo spiritus almus,  
 Non se uisurum mortem supremamq; fata,  
 Ni prius aspiciat mortali in corpore Christum.  
 Pneumatis hic monitu sacras inuiserat ædes,  
 Et puerum allatum tremulas accepit in ulnas,  
 Dulce deo carmen sincero pectore promit.  
 Nunc pater alme tuum dimitte in pace ministrum,  
 Vidimus his oculis, & contrectauimus ulnis  
 Christum, quem populo statuisti in carne uidendum  
 Ut noua lux foret, & Iudææ gloria plebis.

DOMINICA I. POST EPIPHA.

Luce II.

**I**N puero postquam bis sex abiere decembres,  
 Ad festum Paschæ de more iuere parentes.  
 Intrabant sanctum dulci cum pignore templum.  
 Completis sacris patriam petiere parentes

Sed puer

Sed puer in templo diuino numine mansit  
 Doctoresq; docens tenuit problemate legis,  
 Anxia tres illum genitrix noctesq; diesq;  
 Inter cognatos querit per rura, per urbem.  
 Tertia lux postquam redijt, querentibus ultro  
 Sese offert templi in medio, tum talia fatur.  
 Quid precor his lachrymis moesti me queritis, an non  
 Quae facienda mihi, uestras peruenit ad aures?  
 Sic ait, & patrios petijt cum matre penates.

DOMINICA II. POST EPI  
 phaniae. Ioannis II.

**F**ESTA Galileis genialia aguntur in oris,  
 Cum socijs aderat Christus, sic mater Iesu  
 Deficiente mero, gnatum sermone precatur,  
 Et queritur sponso uini nihil amplius esse.  
 Quid mihi ait tecum? mea nondum uenerat hora,  
 Sed genitrix duris nihil est exterrita uerbis,  
 Heus agite o famuli, quae uobis iusserit, inquit.  
 Vascula sex illic fuerant de more reposita,  
 Haec iussit Christus compleri largiter undis.  
 Imperio serui parent, & uascula complent,  
 Nec mora Christus ait, haurite & porgite poculum  
 Architriclino, qui dum gustaret hiacchum

Tam dulcem, ignarus rerum culpauit acerbe  
 Sponsum, quod uinum seruârit dulcius usq̃;  
 Tum primum cœpit Deus innotescere mundo.

DOMINICA III. POST EPI-  
 phaniâ Matth. VIII.

**M**ontis in abrupto quum declamasset Iesus,  
 Scandit in apricos turbis comitantibus agros  
 En miser occurrit gemitu leprosus acerbo,  
 Procidit ante pedes Domini, supplexq̃; precatur.  
 Me pie præceptor, si uis, mundare ualebis.  
 Christus ait, mundare uolo, sis mundus, abito,  
 Atq̃; sacerdoti te ostendas more uetusto.

DOMINICA IIII. POST EPI-  
 phaniæ. Matth. VIII.

**I**N nauim Christus socijs comitantibus intrat,  
 Tum pelago deseuit hyems, tum uentus & undæ  
 Intumuerè, ratem medijs in fluctibus urgent.  
 Nauis in æquoreis titubat quassata procellis.  
 Interea in puppi somnum carpebat Iesus,  
 Discipuli accedunt timidi Christumq̃; precantur,  
 Heus bone præceptor, num tanta pericula cernis?  
 Num tibi de nobis cura est? exurge magister,  
 Aequoris



EVANG. CARMINVM

*Aequoris irati nos turbine libera ab omni.  
Christus ad hæc, quàm parua, inquit, fiducia uobis ?  
Surgit & Aeolijs uentis tumidisq; procellis  
Imperat, & solo uerbo tumida æquora placat.*

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Matthei XXIII.

**R***uricolæ simile est regnum coeleste ferenti,  
Qui bona foecundis committit semina glebis  
Sed cum nocte silent homines, inimicus agello  
Infœlix lolium & steriles inspergit auenas.  
Iam spicata ceres, lolio uitata, resurgit,  
Compellant serui dominum, mirantur & aiunt,  
En bona foecundæ mandasti semina terræ  
Vnde igitur lolium & steriles dominantur auenæ?  
Si uis triticeum purgabimus ocius agrum  
Respondit placido dominus sermone sinamus  
Crescere cum lolio frumentum, ac tempore messis  
Exuri lolium connexo fasce iubebo,  
Plenaq; triticeæ complebunt horrea messes  
Verbera quid hæc signent, clare depromit Iesus.  
Filius est hominis qui mandat semina terræ,  
Mundus ager, semen syncerum turba piorum,  
Infœlix lolium seducti demonis arte,*

Hostis

LIBER PRIMVS.

Hostis ad hæc dæmon, est messis terminus orbis,  
Spirituumq; chori messorum atq; ministri,  
Hos pater omnipotens mundi sub fine iubebit  
Colligere e regno errores & scandala Christi.  
Sed iusti ut solis fulgebunt splendor in astris,  
Et capient summi cœlestia gaudia regni.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

Matth. XX.

**M**ANE viros operum conducere uinitor ibat,  
Et quos offendit pacta mercede laboris,  
In fundum prodire iubet, sic fecerat horis  
Et reliquis, & quos offendit, abire iubebat.  
Phœbus ubi undecimam cursu perfecerat horam,  
Offendit similes, duros quos increpat ore,  
Quid precor hic tota torpetis ad ocia luce?  
Illi confestim, quia non conduxerit ullus.  
Ite ait extemplo mea nunc uineta colendum  
Præstabo & uobis, fuerint quæ premia iusta.  
Et iam cæruleis Titan dimergitur undis,  
Conductos seruos uocat, & sua premia reddit  
Omnibus æqualem mercedem uinitor addit  
Primi indignantur similes quod fecerat illos  
Extremis, dominum culpantes murmure magno

Huic

EVANG. CARMINVM

Huic autem imprudens animum qui culpam herilem,  
 Heus age quæ tua sunt tibi tollito, uinitor inquit,  
 An mihi non liceat dare, quæ uolo, munera cuiq;  
 An quia ego ingenuus, tu oculus non respicis equis  
 Sic primi extremi fient sub iudice Christo.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Lucæ VIII.

**I**Am turbæ passim cunctis de finibus adsunt,  
 Tota ex urbe fluunt populi & stant littora circum  
 Confestim è nauis depromit talia Christus.  
 Ruricola regnum simile est cocleste fideli,  
 Optima qui proprio commendat semina ruri.  
 Pars cadit in calles, aubus præda ista futura est,  
 Aut conculcatur pedibus pecudumq; hominumq;  
 Pars in petrosam glebis sitientibus agrum,  
 Hæc ad feruorem tabescit portio solis  
 Pars inter spinas lappas, tribulos & arenam,  
 Hanc spinosus ager, spinarumq; obruit horror.  
 Sed quæ frugiferis mandantur semina glebis,  
 Luxuriant plena multo cum scenore fruge  
 Discipuli, istorum quæ sint arcana, rogabant.  
 Sunt data nosse, inquit, uobis mysteria regni,  
 Sit satis exemplis alijs uulgaribus uti  
 Ne si crediderint cœli potiantur honore,

Accipite

Accipite ergo animis, quis sit de semine sensus.  
 Quod cadit in callem, uerbum est, quod carpitur aure,  
 Sed rapit auditum uacuo de pectore demon.  
 Quod cadit in petram carnali carpitur aure,  
 Et tamen in cordis nunquam diffunditur aures.  
 Nam si aduersa premunt, mox à pietate recedunt.  
 Quod cadit in spinas, conspurcat auara uoluptas,  
 Et curæ tristes, & opum furiosa libido.  
 Quod cadit in pinguem foelici sidere terram,  
 Hi sunt iucundo qui captant pectore uerbum,  
 Omnigenosq; parit uirtutis robore fructus.

DOMINICA QVINQVAGESI-  
 me. Lucæ: XVIII.

**B**issenos clam discipulos assumpsit Iesus  
 Ecce modo Solymas inquit conscendimus arces,  
 Filius hic hominis, quicquid scripsere Prophetæ  
 Strenuus implebit manibus tradendus iniquis  
 Scribarum, procerumq; feret conuicia multa,  
 Affixusq; cruci mortem patietur acerbam.  
 Post triduum nigro uiuus remeabit ab orco.  
 Nec mora, cum ueniunt ueteris Hierichuntis ad arua  
 Et sedet ad callem infœlix mendicus, & orbis  
 Luminibus, populo sic prætereunte rogabat,

b

Quid



Quid sibi tanta uelint commertia plebis euntis,  
 Dixerunt illi, quia pertransiret Iesus,  
 Mox miser in tales uoces prorupit. Iesu  
 Progenies Dauid, miseri miserere precantis.  
 Sed cum clamantem argueret, quæ turba præibat,  
 Quæq; sequebatur, uerbis magis instat eisdem.  
 Heus bone Christe precor, miseri miserere precantis.  
 Quid tibi uis fieri? promit Saluator at ille  
 Rabuni ut uideam. Tum Christus, respice, dixit,  
 Te tua certa fides fecit saluum atq; uidentem.  
 Confestim uidit, dominumq; secutus Iesum est,  
 Et cecinit domino plebs toto pectore laudes.

DOMINICA QVADRAGESIMÆ.

Inuocauit. Matth. IIII.

**I**N desertum agitur Christus, stabula alta ferarum,  
 Ut fallax habeat tentandi spiritus ansam.  
 Quadraginta esu caruit noctesq; diesq;  
 Esuriit tandem, mox hunc Tentator adibat.  
 Heus, ait, æterni es proles si uera parentis,  
 Dic lapides isti ut panes alimentaq; fiant.  
 Christus ad hæc. Scriptum est, non solo in pane ciboq;  
 Viuit homo, at uerbo quod manat ab ore tonantis.  
 Tunc assumpsit eum uersuto pectore demon

In Solymas arces ducens Templumq; Sionis  
 Thurecremi hunc statuit præcelso in culmine templi.  
 Heus, ait, ætherei es proles si uera parentis,  
 Aëra per uacuum te nunc demitte deorsum,  
 Scriptum est, coelitibus de te mandasse parentem,  
 Ut manibus tollant, perq; omnia deuia ducant,  
 Ne quando ad lapidem possis offendere plantas.  
 Christus ad hæc, memini sic scriptum in lege tonantis  
 Non temere summum debes tentare tonantem.  
 Rursus in excelsum rapit hunc per nubila montem,  
 Momentoq; breui ostendit mundi omnia regna.  
 Hæc tua sint dixit, si me reuerenter adores  
 Poplitibus flexis. Tunc uerbis Christus acerbis,  
 Vade Sathan, scriptum est diuino in codice legis,  
 Ut pius æthereum dominum reuerenter adoret,  
 Seruiat huic soli recinat quoq; uota precesq;  
 Demone sic pulso, concessit coelica turba.

## DOMINICA REMINISCERE.

Matth. XV.

**S**Ydonis atq; Tyri partes intrauit Iesus,  
 Ad cuius plantas Cananææ fœmina stirpis  
 Voluitur, & precibus Christum interpellat amicis.  
 Heus domine & fili Dauid, miserere precantis,  
 Nam male torquetur mea gnata à demone sæuo.

Ille nihil lachrymis misera nec uoce mouetur.  
 Discipuli accedunt precibus lenire tacentem.  
 Heus pie clamantem post nos dimitte, precamur.  
 Christus ad hæc. Sum missus oues quas perdidit error  
 Colligere, & uerbo cœlesti reddere ouili.  
 Fœmina sed tacitum non deserit anxia Christum,  
 Confer opem miseræ gnatæ, sic crebrius instat.  
 Indignum est reddit, gnatorum sumere panem,  
 Et dare sordifluis canibus, spurcisq; moloſſis.  
 Est ut ais, dixit mulier, tamen esca catellis  
 Sunt nucæ domini, mensa tribuente cadentes:  
 O mulier tua magna fides, respondit Iesus,  
 Quod tibi uis fiat, nacta est mox gnata salutem.

## DOMINICA OCULI.

Lucæ. XI.

**L**anguores hominum uarios curauit Iesus,  
 Inter quos atri congressu demonis orbum  
 Et lingua & uisu curauit demone pulso.  
 Mirantur turbæ multum ut uidere loquentem  
 Pars miranda petunt cœli de culmine signa,  
 Pars ditem pepulisse ferunt in principe auerni.  
 Blasphemis istis multis respondit Iesus,  
 In se diuisum Regnum uastabitur omne:

Si Dis Plutonem pellit, sua regna peribunt.  
 Si Sathanam, ut fertis, depello Beelzebub armis,  
 In quo Plutonem propellunt pignora uestra?  
 Si uero in digito Domini depello malignum,  
 Certo in uos ueniet regnum patris omnipotentis.  
 Fortis ut armatus sua firma palatia curat,  
 Pace bona, in regno quæ possidet, omnia durant.  
 Fortior at ueniens prædam illi diripit omnem.  
 Qui non est mecum, contra me pugnat in armis,  
 Congregat & qui non mecum dispergit & errat.  
 Spiritus infœlix humano à corpore pulsus,  
 Ut requiem inueniat deserta inculta pererrat,  
 Sed nullam offendens, hæc secum satur, & inquit,  
 Vnde abij redeam? ueniens cum complice turba,  
 Ingreditur rursus, totumq; exturbat homullum.  
 Vltima sic fiunt peiora prioribus huius.  
 Cumq; ita turba sacro Christi penderet ab ore,  
 Extulit è populo ad Christum pia scœmina uocem,  
 O fœlix uenter qui te portauit Iesu,  
 Et quæ suxisti diuinis ubera labris.  
 Imo beatus erit, dixit, qui corde fideli,  
 Audit uerba mea, & uita testatur in omni.

## DOMINICA LETARE

Ioan. VI.

b

3

Trans



**T**Rans mare secessit Galileas Christus in oras,  
 Et deserta petens, populi comitante caterua,  
 Restituit quorum egrotos uirtute superna,  
 Transít in excelsum deserta per inuia montem,  
 Cum socijs orans, tenera hic requieuit in herba.  
 Vidit ubi populi tantam uenisse cohortem,  
 Nec superesse cibum, turbam miseratus egentem,  
 Conuocat in coetum socios, dicitq; Philippo.  
 Quo precor ære dapes mercabimur? idq; loquutus  
 Ut tentaret eum, nam quod facere ipse uolebat,  
 Iamdudum agnouit. Tum reddit ab ore Philippus,  
 Si nummos forsã numeres pro pane ducentos,  
 Non sat erit capiat quod panis quisq; pusillum.  
 Tunc pius Andreas, Est hic puer, inquit, Iesu,  
 Qui geminos pisces & panes quinque recondit  
 In gremio, at nihil est in tantam frangere plebem?  
 Tum Christus satis est, inquit, discumbere turbam  
 Vos facite, in tenera confestim graminis herba.  
 Discubuere igitur tunc millia quinque uirorum.  
 Suspiciens Christus cœlum & genitore uocato,  
 Ipse duos pisces & quinque ex ordine panes  
 Diuidit, & præstat socijs, Hi rursus in omnes  
 Donant, & dapibus cuncti satiantur opimis.  
 Colligere hinc Christus mandat fragmenta ciborum

Ne pereant. corbes mox quinos fragmine complent  
 Discipuli, hoc uiso, plebs tota erumpit & inquit,  
 Hic uere uates ille est uenturus in orbem.

## DOMINICA IVDICA.

Ioannis. VIII.

**Q**uis precor ex uobis me criminis arguet acti,  
 Si uerum dico, mihi cur non creditis inquit,  
 Audit uerba Dei, superum prognatus ab arce.  
 Contra fastidit, nigro qui uenit ab orco.  
 Vos Plutone sati contemnitis Enthea uerba.  
 Respondent rabidi, Nunquid bene dicimus, actum  
 Te furijs, atq; inferno Plutone creatum?  
 Christus ad hæc, non me exagitat furor impius orci,  
 Sed ueneror supplex cœlestem ex corde parentem  
 Vos autem præter causam conuitia fertis,  
 A uobis temere prauis non ambio honorem  
 Est pater in cœlis, qui me ueneratur, amatq;  
 Sed dico uobis, si quis mea uerba recondit.  
 Et memori ad uite metas in pectore seruat,  
 Non hic more hominum mortem gustabit amaram.  
 Tum rursus miseri, nunc primum agnouimus aiunt,  
 Te furijs actum. Namq; occubuerunt Prophetæ,  
 Abrahamusq; senex, Domini haud uulgaris amicus,  
 An tu illo infœlix melior? Quem te facis ipsum?

## 24 E. V A N G. C A R M I N V M

Christus ait, si nunc me euexero laudibus ipsum,  
 Gloria nulla mea est, Pater est qui me ueneratur,  
 Quem uos ut dominum colitis, sed pectore falso.  
 Ipse pater uester cupiebat corde fideli,  
 Ut posset spectare dies in tempore nostros,  
 Viderat exultans, Rabidi tum uocibus instant:  
 Quinquaginta aiunt nondum compleueris annos,  
 Et temere Abrahami uultus uidisse fateris.  
 Christus ad hæc, prior ipse fui q̄ Abrahamus adesset.  
 Tum subito ad lapides currunt, ad saxa frementes,  
 Ut iacerent in eum, tanta est insania gentis.  
 At sese abscondit Christus, templumq; reliquit.

## P A L M A R V M.

Vide Dominica Aduentus.

## I N C O E N A D O M I N I

Luca. XXII.

**A**ccubuit Christus cum discipulis duodenis,  
 Inquit, iã dudū cœnā hanc, mihi corde sedebat  
 Sumere uobiscum, legemq; implere, priusquam  
 Terribilem patiar crudeli uulnere mortem.  
 Et pane accepto, post multa precamina frangit,  
 Et donat charæ sanctissima munera turbæ.

Acci

Accipite has epulas, & puro sumite corde,  
Hocce meum est corpus, dixit, pro crimine mundi  
Quod datur in diram multo cum sanguine mortem.  
A cœna calice accepto partitur in omnes  
Discipulos, dicens. Hoc sanctum sumite poclum,  
Hic meus est sanguis, pro multis qui redimendis  
Fundetur populis, & noxam diluet omnem.  
Hunc panem quoties editis, calicemq; bibetis,  
Vos semper nostri memores estote laboris.

PARS SUPEREST COEPTI,  
PARS EST EXHAUSTA  
LABORIS.



# DOMINICA PASCHAE

MARCI VLTIMO.



Abbatum ubi festiua dies tran-  
sisset ab orbe,  
Matronæ precio mercantur aro-  
mata magno.  
Mane sacrum Christi uenientes  
ungere corpus.

En terram motus concussit protinus omnem,  
Angelus & Domini summo descendit olympo,  
Accedens lapidem tumuli de limine uoluit.  
Vt fulgur facies, ut nix præfulsit amictus,  
Præq; metu ueluti exangues iacuere ministri.  
Iamq; iter emensæ medium, secum ista loquuntur,  
Quis lapidem nobis deuoluet ab ore sepulchri?  
Et dum respiciunt, saxum uidere uolutum.  
Intrantes tumulum, è superis uidere sedentem  
In dextris iuuenem, niueo uelamine comptum  
Horrescunt uisu matres, quibus angelus inquit.  
Ponite corde metum, letosq; resumite uultus,  
Hoc scio quod Christum crucifixum queritis, Ecce  
Hic locus, hic fuerant sanctissima condita membra

Sura

Surrexit, uitamq; extincta morte recepit.

Ite citi, atq; meis hæc dicite fratribus, ite.

Ecce Galilæas uos uos præcedet in oras.

Hic dudum ut uobis dixit, spectabit is ipsum,

QVASI MODO GENITI.

Ioannis. XX.

**C**Hristus ubi nigro uenit rediuiuus ab orco,

In clausa trepidis confratribus asitit a de

Pace salutato fratres confirmat, & inquit.

Me pater ut misit, sic uos ego in omnia mittam.

Fratribus hæc dicens, diuinum inspirat amorem.

His uero Dydimus Thomas non adfuit horis,

Ast alij dicunt redeunti, uiuere Christum.

Ille ait, haud credam, uideam nisi uulnera ocellis,

Atq; cicatrices tangam manuumq; pedumq;

Inq; latus Domini mittam digitosq; manusq;.

Iam rutilos octaua dies produxerat ortus,

Cuncti aderant, Dydimusq; simul. Tum Christus Iesus

Intrat in oclusas cœlesti numine sedes.

Constitit in medio uiuus, fratresq; salutat.

Deinde ait ad Dydimum, tu nunc mea uulnera cerne,

Credulus, inq; meum digitos latus infer apertum.

Confestim Thomas procumbens poplite flexo,

Tu pius, exclamat, meus es Dominusq; Deusq;.

Christus

Christus ad hæc postquam me uidisti, inquit, ocellis  
 Credis, nec dubitas, Sed terq; quaterq; beati,  
 Qui sacris facilem præbent sermonibus aurem.

## MISERICORDIA DOMINI.

Ioannis. X.

**S**VM bonus ille ouium pastor, uerusq; magister,  
 Qui pro discipulis, ouibusq; ouiumq; magistris  
 Sponte crucem subeo, mortem passurus acerbam.  
 At uero infœlix est mercenarius omnis,  
 Cuius oues non sunt propriæ, uidet eminus hostem,  
 Atq; lupum in pecudes sæuire, & sternere turbam,  
 Mox dimittit oues, fugit & per prata, per amnes.  
 Tum lupus imbelles agnos inuadit, ouesq;  
 Et lacerat, perdit, mactat, uorat, obruit, aufert.  
 Sum bonus ille ouium pastor, uerusq; magister.  
 Semper oues agnosco meas, & noscor ab illis.  
 Me pater ut nouit, charumq; agnosco parentem,  
 Sic agnosco meas, uitamq; miserrimus ultro  
 Pro grege commisso, per mille pericula ducam.  
 Sunt & oues aliæ non his ab ouilibus, inquit,  
 Quas reddam turbæ uerbi uirtute priori,  
 Et facilem nostris præbebunt uocibus aurem,  
 Sic quoq; erit tandem grex unus, pastor & unus.

Iubilate.

LIBER I.  
IUBILATE.  
Ioannis. XVI.

29

**T**Empus erit, quo me iam non spectare licebit,  
Namq; crucifixus moriar, condarq; sepulchro,  
Post modicum rursus me uos spectabitis omnes,  
Nam uado ad patrem, ueniens rediuiuus ab orco.  
His super attoniti fratres dixere, quid illud,  
Quod dicit, modicum me non spectare licebit?  
Et rursus, modicum me uos spectabitis omnes?  
Quid loquitur certe nescimus. At ille ubi uidit  
Attonitos fratres, ultro dubitantibus infit.  
Hæsitat usq; meis cor uestrum in uocibus, aurem  
Præbete, en uobis quæ sit sententia dicam.  
Flebitis heu miseri, sed mundus iubila promet,  
At lachrymas uestras Deus in pia gaudia uertet.  
Ut mulier puerum cum parturit. instat & hora,  
Sollicitis premitur curis, uarioq; dolore.  
Cum uero in mundum est enixa puerpera prolem,  
Amplius haud meminit pressuræ, gaudia propter,  
Namq; homo foelicem lucis peruenit ad ortum.  
Sic uos & lachrymæ, sic pectora mœsta manebunt,  
Cum me suspensum furca lustrabitis alta.  
Sed tamen in tantis non uos mea pignora linquam,

Nam rursus



Nam rursus stygijs surgam rediuius ab undis  
 Vestraq; diuino solabor pectora uultu.  
 Illo gaudebit cor uestrum tempore rursus,  
 Et nemo à uobis uestra hæc pia gaudia tollet.

CANTATE. Ioannis XVI.

**A**D charum uado, qui miserat ante parentem,  
 Sed nemo ex uobis, quo uadam, querit, at ista  
 Dicens, tristitia compleri pectora uestra.  
 Expedit at uobis, ut regna superna reuisam,  
 Ad uos hinc cælo ueniet paracletus ab alto,  
 Arguet hic ueniens totum de crimine mundum,  
 Nempe quod in Christum mundus non credit Iesum.  
 Iusticiæ & causa, quia cælica regna reuisam.  
 Iudicium & propter, quia princeps orbis & orci  
 Iudicium à domino est iamdudum passus Iesu.  
 Dicere adhuc uobis habeo per plurima, sed iam  
 Mœsti præ lachrymis, ea non portare potestis.  
 Spiritus at ueniens ueri, uera ipse docebit,  
 Nam nihil à seipso, sed cuncta audita loquetur,  
 Et mundo in toto quæ sunt uentura docebit.  
 Hic me præclarum faciet mea uerba resumens,  
 Nam mea sunt, quæ cunq; parens habet, omnia nostra.  
 Propterea dixi, uobis mea suggeret orsa.

VOCEM

EVANG. CARMIMUM  
VOCEM IVCVNDITATIS  
Ioannis. XVI.

**V**Era loquor, si quid petitis sub nomine nostro,  
Ipse pater uobis tribuet de culmine cœli.  
Hactenus in nostro nil quicquàm nomine fratres  
Orastis, petite uobis ut sint gaudia plena.  
Hæc dixi referens tanquàm prouerbia uobis.  
Tempus erit de patre palam cum dixero uobis,  
Non dico uobis quod patrem sim petiturus,  
Ipse etenim genitor credentes diligit omnes.  
A patre in hunc mundum ueni, rursusq; relinquo  
Sordifluum hunc mundum, & cœlestia regna reuiffo.  
Ecce palam, dicunt, loqueris prouerbia nulla,  
Nunc certo scimus, quod noueris omnia Christe,  
Nec tibi opus multis ut quis te interroget ultra,  
Credimus idcirco te missum à patre superno.  
Christus ad hæc inquit, modo creditis, imminet hora,  
Cum uos dispersi proprias fugietis in ædes,  
Hostica Iudæum domino inter tela relicto.  
Sed non sum solus, pater est sine tempore mecum.  
Hæc dixi, ut pacem in me habeatis semper amici.  
Mœror & anxietas uobis sunt orbe sub isto,  
Fidite, ego mundum, Plutonem, & tartara uici.

In Ascensu

EVANG. CARMINVM  
IN ASCENSU DOMINICO  
Marci ultimo.

**I**N Cælo & terra est mihi præstita cuncta potestas.  
 Me pater ut misit, sic uos ego in omnia mitto.  
 Ite ergo in totum uotis fœlicibus orbem,  
 Iussaq; terrigenis nostra insinuate docentes.  
 Vos Euangelij bona nunctia promite cunctis,  
 Qui modo crediderit, fueritq; ablutus in undis,  
 In uirtute patris, gnatiq; & flaminis almi  
 Saluus erit. Contra, qui non, damnabitur orco.  
 Hos, qui crediderint, confestim hæc signa sequentur.  
 In uirtute Dei lemures laruasq; fugabunt,  
 Et uarijs linguisq; nouis mea iussa loquentur.  
 Toxicæ si biberint, dispendia nulla sequentur.  
 Et super ægrotos orabunt, & bene habebunt.  
 Hæc ubi dixisset, cælos ascendit iesus,  
 Et sedet ad dextram patris omnipotentis in alto.

DOMINICA EXAUIDI.

Ioannis XV.

**C**UM ueniet cælo diuus Paracletus ab alto.  
 Quem pater ille meus nostro sub nomine mittet,  
 Spiritus hic uerax de me testabitur, & uos  
 Proinde mei testes eritis, per regna per urbes.

Hæc dixi

Hæc dixi, offendant ne pectora uestra procellæ,  
 Namq; interdicerent uobis et flumine & igni.  
 Tempus erit quo uota putent præstare tonanti,  
 Si uos occidant, in promptu est causa, parentem  
 Non equidem agnoscunt, neq; me, neq; numina sancta.  
 Hæc retuli uobis si quando incommodet olim,  
 Vos meminisse uelim, quia prædixi omnia uobis.

## DOMINICA PENTECOSTES.

Ioannis XIII.

**S**i quis in hoc mundo me pectore diligit imo,  
 Hæc mea seruabit præcepta, & uerba salutis.  
 Diliget hunc contra pater, atq; ad eum ueniemus,  
 Viscera & illius habitacula nostra manebunt.  
 Non mea uerba capit, qui me non diligit, & quem  
 Sermonem audistis, non est meus, imò parentis.  
 Hæc dixi uobis, mundo uersatus in isto,  
 Sed ueniens supera diuus Paracletus ab arce,  
 Quem pater ipse meus mittet, uos cuncta docebit,  
 Suggestet & uobis, quæcunq; hoc tempore dixi.  
 Ecce meam pacem do uobis, atq; relinquo,  
 Non qualem mundus, sed quam cœlestia spirant,  
 Ponite corde metum tristesq; excludite curas.  
 Vado ego, sed reducem plausu excipietis amico.

c

Si quis



Si quis amor nostri pulsaret pectora uestra,  
 Subfileretis item quod mundi lubrica linquens,  
 Ad patrem uado, quia me sublimior ipse est.  
 Iam non multa loquar uobiscum, nam uenit ipse  
 Sordiflui mundi princeps, neq; ius habet in me.  
 Ut tamen agnoscat mundus, quia diligo patrem.  
 Et quod iussa Dei facio, iam surgite eamus.

## DOMINICA TRINITATIS.

Ioannis. III.

**N**Octe sub obscura Nicodemus adibat Iesum  
 Credo, ait, à superis te te uenisse magistrum,  
 Namq; ea signa potest, quæ tu facis, edere nemo,  
 Nisi Deus adsistat præsentì numine ab astris.  
 Christus ait. Tibi uera loquor, tu crede loquenti,  
 Nullus olympiacas poterit contingere sedes,  
 Pristinam nî capiat nascendi exordia rursus.  
 Ille autem insolita turbatus uoce profatur.  
 Quis poterit ceptæ reuocare exordia uitæ?  
 Num senior poterit matris prorepere in aluum?  
 Rursus & in lucem facili procedere partu?  
 Christus ad hæc. Nisi quis sacro sit fonte renatus,  
 Non heres fiet coelestis & incola regni,  
 Est caro quod natum est ex carne, ex flamine flatus,

Quo

Quo uult flat uentus, uestras delatus ad aures  
 Personat, unde fluat uel quæ se regna receptet  
 Incertum, hoc pacto geritur quoq; causa renati.  
 Qui precor hæc fieri possunt? inquit Nicodemus,  
 Respondit Christus, populi tu ductor, & ista  
 Non sapis, en loquimur quæ sunt bene cognita nobis,  
 Hæc quoq; testamur, Sed uos ea temnitis omnes.  
 Si terrena adeo conturbant pectora uestra,  
 Quomodo credetis si cœlica dixero uobis?  
 Astra petet nullus, nisi qui descendit ab alto,  
 Filius ipse hominis rutilus qui præsidet astris.  
 Ut Moses olim in desertis extulit anguem,  
 Sic hominis gnatum tolli in sublime necesse est,  
 Ut qui crediderit Christo, non Tartara nigra  
 Ditis, at æternam capiat post funera uitam.

## DOMINICA PRIMA

Trinitatis, Lucæ 16.

**D**ives erat solitus uestiri murice & ostro  
 Quotidie absumens regali prandia luxu.  
 En miser ante fores mendicus in urbe iacebat  
 Lazarus ulceribus, multo quoq; uulnere plenus,  
 De micis cupiens implere cadentibus aluum,  
 Vlcers at illius fidi linoxere catelli,

Accidit ut tenues animam exhalaret in auras,  
 Præsidio angelico cœlesti adiungitur aulæ.  
 Occubat & diues nigro mulctandus auerno.  
 Cum uerò in medio flagrans Acheronte iaceret,  
 Abrahami in gremio mendicum uidit, & inquit:  
 Magne pater miserere mei, miserere precantis,  
 Lazarus huc ueniat, linguamq; refrigeret unda,  
 Nam miser hoc uasto crucior sine fine camino.  
 At senior, debes fili meminisse bonorum,  
 Quæ tibi in hac uita sunt præstita scœnore magno,  
 Lazarus est contra fatis oppressus iniquis,  
 At nunc ille Dei præsentis numine gaudet,  
 Tu uero æternis semper cruciabere flammis.  
 Insuper inter nos est magnus hiatus, ut ad uos,  
 Qui transire uelint nequeant, nec scandere rursus.  
 Diues ait. Te queso pater, fac otius ipse  
 Lazarus ut noti genitoris tecta subintret.  
 Quinq; etenim fratres habeo, quibus ista loquatur,  
 Hi quoq; ne ueniant hæc in tormenta gehennæ.  
 Tum pater inquit, habent Vatum documenta piorum,  
 Hæc capiant docta narrata fideliter aure.  
 Non pater ille, inquit, diues, sed si quis ab orco  
 Venerit in mundum rediuiuus, tum resipiscent.  
 At senior, si non credunt Mosi atq; Prophetis

Nec sunt

Nec sanctis certe rediuiuis funere credent .

## DOMINICA SECUNDA.

Lucæ XIII.

**F**ECIT homo cœnam magnam, multosq; uocauit  
 Et misit fidum cœnæ sub tempore seruum,  
 Ad cœnam ut iubeat cunctos properare uocatos,  
 Nam dapibus mensæ structæ sint largiter omnes,  
 Cœperunt pariter sese excusare uocati.  
 Primus agrum dicebat emi, iuga quinq; secundus,  
 Tertius uxorem duxi, sic temnitur hospes.  
 Commotus grauius Dominus, uade ocius inquit,  
 In uicos urbis, & quos offenderis istic,  
 Adduc loripedes, claudos, cæcos, & egenos.  
 Factum est seruus ait, locus est tamen usq; relictus.  
 Tunc ait, i propere, per publica septa uiarum,  
 Utq; epulis adsint, compelle intrare, paratis.  
 Hoc certe uobis dico, quod nemo uocatus  
 Ex numero hoc tanto cœnam gustabit opimam.

## DOMINICA TERTIA.

Lucæ XV.

**A**D Christū fontes properant, scelerūq; magistri.  
 Illius ut capiant æternæ uerba salutis.



Murmurat impietas scribarum, & talia fatur.  
 Hic peccatorum conuiuia lauta frequentat,  
 Accipit inq; suam uilissima scorta cohortem.  
 Istis blasphemis respondit talia Christus.  
 Si quis pastor oues deserta per inuia centum  
 Pauerit, atq; unam infelici errore uagantem  
 Nescius amittat, num certas deserit omnes?  
 Querit & amissam in syluis per prata per agros?  
 Si qua forte suis sese ferat obuia ocellis,  
 Quam si compererit, lætis complectitur ulnis,  
 Inq; humerum inuentam locat, atq; in ouile reportat.  
 Conuocat in coetum uicinos, sicq; profatur.  
 Este hilares omnes, lætosq; resumite uultus,  
 Perdita nam dextro genio est ovis ipsa reperta.  
 Et uobis dico, uos hæc mea prendite dicta.  
 Gaudia sunt superis, quoties peccator ad aras  
 Commissum deflet scelus, & pia numina adorat.

## DOMINICA QVARTA.

Lucæ VI.

**V**ester ut in cœlis pater est pius atq; benignus,  
 Dans solē & pluuiã cunctis iustisq; malisq;  
 Sic uos este pij erga omnes discrimine nullo.  
 Iudicium in fratres nolite expromere falsum,

Iudicium

Iudicium temere dictum Deus arbiter odit.  
 Ut dimittantur peccata (remitte) uobis,  
 Donaq; præstentur uobis, date dona uicissim.  
 In gremium uestrum mensuram ex pondere iustam,  
 Confertamq; dabit, qui lucida temperat astra.  
 Porrò quam dabitis mensuram, hanc ferre necesse est.  
 Addidit his aliquot Christus Paradigmata uerbis.  
 Si quis forte ducem nactus sit cæcus oberrans,  
 Incidet in foueam pariter dimerfus uterq;  
 Quid precor ipse uides festucam in lumine fratris?  
 Sed lignum interea proprio non sentis ocello?  
 Tolle trabem in primis, proprios quæ turbat ocellos  
 Hinc fratris minimam tollas de lumine aristam,

## DOMINICA QUINTA.

Luce. V.

**A**D Christum turbæ cunctis de finibus adsunt,  
 Auribus ut capiant æternæ uerba salutis.  
 Ad mare conspexit binas in littore naues:  
 Nam piscatores purgabant retiâ palmis.  
 Quæ Simonis erat subitis hanc gressibus intrat,  
 Et rogat ut ducat puppim à tellure pusillum,  
 Sicq; sedens populum longo sermone moratur.  
 Ut cessarat, ait Petro. Duc æquor in altum,

Vosq; in capturam laxate uolumina lini.  
 Simon ad hoc. Totam noctem sudauimus una,  
 Nil tamen est captum, sed te mandante magistro  
 Adq; tuum uerbum nassas laxabimus omnes.  
 Nec mora, cōprehendunt multos in nomine Christi  
 Squamosos pisces, ruperunt pondera rete,  
 At fratrum auxilio naues implentur utræq;  
 Hæc ubi uidisset Petrus, mox poplite flexo  
 Procidit ad plantas Domini, supplexq; precatur  
 Heus procul hinc præceptor abi, peccator ego sum,  
 Nam stupor ex captu fratres circūdedit omnes.  
 Hic quoq; Ioanni stupor accidit, atq; Iacobo  
 Et dixit Petro, Tu nunc exclude timorem,  
 Hactenus hamiferi coepistis in æquore pisces,  
 Nunc homines uerbo Domini capietis Iesu  
 Nauibus in portum subductis omnia linquunt,  
 Et pariter Christum subito comitantur Iesum.

## DOMINICA SEXTA.

Matthæi, VII.

**M**onte sedens populum sic est affatus Iesus.  
 Ni pietas uestra est potior quàm Phariseorum.  
 Non certe ætherci capietis gaudia regni.  
 Audistis ueteris conscripta uolumina legis,

Si quis

Si quis fortè hominis macularit sanguine palmas.  
 Ast ego dico meis, si quis consurgit in ira  
 Aduersus fratrem, ille luet sub iudice plagas.  
 Qui uerò in fratrem conuitia dira loquetur,  
 Consilio ille reus. Fatuum qui dixerit, ille  
 Inferni dignus flammis, stygiaq; palude.  
 Fac igitur si quando feres tua munera ad aras.  
 Et memor hic fueris, tibi quod cum fratre simulas,  
 Istic ante aras diuum tua dona relinque,  
 Et uade ad fratrem primum, ueniamq; rogato.  
 Demum fraterno iam conciliatus amori,  
 Offer grata deo tranquillo pectore uota.

DOMINICA SEPTIMA.

Marci. VIII.

**P**Lurima cum Christi penderet ab ore caterua,  
 Nec numero in tanto quod manducaret haberet,  
 More suo Christus turbam miseratus egentem  
 Conuocat in coetum fratres, & talibus infit.  
 Adficio super hac turba, quia tertia lux est,  
 Ex qua nulla sibi sumpserunt alimenta ciborum,  
 Et si ieiunos in nota remisero tecta,  
 Deficient misere praelonga ambage uiarum.  
 Unde hanc quis poterit, dicunt? saciare cateruam



42 EVANG. CARMINVM  
Discipuli? Christus quot panes inquit habetis?  
Respondent septem, paucosq; ex ordine pisces.  
Tum iussit populum per amoena uireta cubare,  
Et panem accipiens post sancta precamina fregit,  
Discipulisq; dedit, donant hi rursus in omnes.  
Sic qui aderant dapibus, cuncti satiantur opimis.  
Mox septem corbes panum de fragmine complent.  
Discubuere autem tunc millia quatuor istic.

DOMINICA OCTAVA.

Matth. 7.

**N**E uos seducant Pseudo obseruate prophetas,  
Qui ueste adueniunt ouium, sed corde luporum.  
Fructibus ex proprijs uos cognoscetis eosdem.  
Num quem de tribulis ficus? de sentibus uuas  
Collegisse unquam magno hoc uidistis in orbe?  
Arbor quæq; suos profert è stipite fructus,  
Nulla potest arbor putres bona reddere fructus,  
Contra nec poterit fructus mala reddere dulces.  
Namq; bonis gaudet semper bona fructibus arbor,  
Et contra putres fructus mala parturit arbor.  
Arbor quæ fructum non germinat, illa securim  
Sentiet, & rapidum Phlegethontis perferet ignem.  
Non omnis qui me Dominum uocat astra subibit.

Sed

Sed qui iussa patris complebit corde fideli.

## DOMINICA NONA.

Luca. 16.

**D**ispensatorem quidam prædiues habet at,  
Quem fore & infidum certis rumoribus audit.

Hunc uocat & tales depromit pectore uoces.

Quam male dispenses, en totus prædicat orbis.

Confestim ergo tui rationem redde laboris,

Non ultra poteris bona dispensare meorum.

Conscijs ipse sibi rapido sub corde uolutat:

Hei mihi nunc quid agam? domini propellor ab æde.

Et fodere & duros non possum ferre labores,

Et rursus uictum dimendicare pudebit.

Sed scio quid faciam, quum munere priuor herili,

Efficiam ut proprios sumant me in pace penates.

Extemplo Domino qui debent conuocat omnes,

Et partem laxat prudenter cuiq; bonorum.

At factum serui Dominus laudauit iniquis,

Quod tam prudenter domini fecisset in ære.

Nam ualde sapienter agunt mundi huius alumni.

Conflandis opibus, uictu rebusq; caducis,

Contra filioli lucis prolesq; Deorum

Delicijs superum mercandis segniter instant.

Atq;

Atq; ego diuitibus cunctisq; iniungo prophanis,  
 Ex fluxis opibus uobis hic reddite amicos,  
 Vos Deus ut superas post funera sumat in ædes.

## DOMINICA DECIMA.

Lucæ. XIX.

**C**hristus ubi Solymam Saluator uiderat urbem,  
 Confestim gemitu et lachrymis sic fatur obortis.  
 O utinam scires tibi quanta pericula restent,  
 Quæsisse hodie tractanda munia pacis.  
 Sed proh cuncta tuis nunc sunt abscondita ocellis:  
 Namq; dies uenient, quibus insensissimus hostis  
 Obsidione graui te cinget & obruet armis,  
 Et uallo claudet fossisq; angusta uiarum,  
 Aequabitq; solo celsis cum mœnibus urbem,  
 Præcipitesq; dabit misere natosq; patresq;  
 In te nec lapidem nec condita tecta relinquent,  
 Dura tuos tristes consumet inedia ciues,  
 Idq; ob eam causam quod non cognoueris horam,  
 Qua te promissus x̄isos inuisit ab alto  
 Ingressus templum dum singula lustrat eundo,  
 Repperit hic turbam uenalia multa locantem,  
 Pars uendebat oues, pars comparat ære columbas,  
 Pars inhians auro mensas onerauerat ære.

Sed Chri/

Sed Christus facto presenti ex fune flagello,  
 Hos mercatores sancta depellit ab æde,  
 Euertens mensas profuderat æris acceruos.  
 Heus ait extemplo procul hæc auferte prophani,  
 Has ædes genitor sacris precibusq; dicauit,  
 Vos autem hic merces & sordida lœtra parastis,  
 Fecistisq; illas lustra & spelæa latronum.

## DOMINICA VNDECIMA.

Luce. XVIII.

**C**onscendere duo spatiosi ad limina templi  
 Oratum, ut domino persoluant uota precesq;  
 Hic peccatoris, Pharisei hic nomen habebat.  
 Stabat et inflatus sacras Phariseus ad aras,  
 Despuit has demens tumido de pectore uoces:  
 Hinc tibi ago grates Deus, hinc tibi carmina dico,  
 Quod non, ut reliqui, polluto pectore uiuo,  
 Non sum periurus, non raptor, auarus, adulter,  
 Non etiam ueluti hic peccator publicus adstans,  
 Grata mihi semper ieiunia sancta fuere,  
 Et decimas cunctis de rebus prestiti opimas.  
 At miser ille procul steterat peccator ab aris,  
 Tollere non oculos ausus coelumq; tueri,  
 Pectora sed manibus tundens trepidantia dixit.

Tu prece



Tu precor Alme pater supplex mea crimina dele,  
 Et mihi sis facilis uenturæ mortis in hora.  
 Vera loquor uobis, redijt purgatus in ædes  
 Publicus ille suas peccator, sed Phariseus  
 Iniustus reprobusq; suo in liuore manebat.  
 Omnis enim qui se tumidum facit, ima tenebit,  
 Et contra qui se minimum facit, altior ibit.

## DOMINICA DVODECIMA

Marci. VII.

**F**inibus è Tyrijs & Sidone uenit Iesus,  
 Ad mare quod fluctu Galilæas uerberat oras.  
 Ecce loci istius homines foelicibus ausis  
 Adducunt Christo surdum mutumq; rogantes,  
 Præbeat ut sese facilem iuuet atq; misellum,  
 Atq; illi imponat clementi numine palmas.  
 Nec mora, De turba Christus subduxerat illum,  
 Et digitos sacros surdas demisit in aures,  
 Expuit & linguam tetigit, dein suspicit astra  
 Ingemuit tandem dicens illi, Hephetha, quæ uox  
 Personat Hebræis. Aperire, atq; auribus audi.  
 Confestim occlusæ sunt aures huius apertæ.  
 Et linguæ illius sunt uincula quæq; soluta,  
 Et cœpit rite perfectas reddere uoces.

Id quoq; ne cuiquam dicant præcepit Iesus.  
 Sed quanto magis ille uetat, tanto amplius illi  
 Undiq; collecti miracula tanta loquuntur.  
 Attonitiq; super rebus præsentibus aiunt.  
 Heus bene cuncta pius fecit uirtute superna,  
 Surdis auditum, mutis dedit atq; loquelam.

## DOMINICA DECIMATERTIA.

Luce. X.

**F**œlices oculi quibus est concessa potestas  
 Hic summi spectare Dei miracula Christi.  
 Multi etenim optarunt reges multiq; Propheta  
 Hos spectare dies, sanctosq; audire lepores.  
 Protinus exurgens Legis Vatumque peritus  
 Tentabat Christum tumidisque ita faucibus insit.  
 Quid faciam ut uitæ nanciscar dona Magister?  
 Christus ad hæc, legis quid monstrat littera scriptæ,  
 Dilige (sic scriptum est inquit, ex corde Tonantem  
 Tota mente, animo toto, & conamine toto.  
 Deniq; par in amore tibi sit proximus omnis,  
 Christus ait, fac ista, feres post fata salutem.  
 Ille uolens iustum se reddere, dixit Iesu,  
 Scire uelim quis sit meus isto proximus orbe.  
 Christus ad hæc, Solyma quidam descendit ab urbe,

In Hi

In Hiericho, hic gladius & uerbera dura latronum  
 Pertulit, & postquam spoliarunt uestibus illum,  
 Exanimis iacuit deserta per arua relictus.  
 Accidit hac ut iter transfret forte sacerdos,  
 Atq; illo uiso nihil est miseratus egentem,  
 Præterit et miserum insalubris Leuita relinquens,  
 Tandem iter hoc simili gressu Samarita profectus,  
 Viso homine ingemuit, dein uulnera sanguinolenta  
 Alligat infundens oleum & uinum, huncq; reponit,  
 Iumento ad stabulum clementi pectore ducens,  
 Protulit è loculis nummos, & talibus infit.  
 Hunc hospes cura, & si quid donaueris ultra,  
 Me redeunte domum pro uiribus omnia soluam.  
 Fare age, quis tibi in his huic proximus esse uidetur?  
 Dixit, qui in miserum pietatem exercuit ipsum,  
 Hoc quoq; Christus ait facito, & penetrabis Olympum

## DOMINICA DECIMA QVARTA

Luce. XVII.

**A**ccidit ut Christus Solymam transfret in urbem  
 Per Galilæorum & Samaritum uenerat orat.  
 Dumq; intrat paruam socijs comitantibus urbem,  
 Occurrere decem sedati corpore lepra,  
 Hi procul astiterant, & magna uoce resultant

Sis faci-

Sis facilis nobis miseris præceptor Iesu.  
 Quos ubi conspexit Christus, respondit & inquit.  
 Ite Sacerdotum uos nunc ostendite turbis.  
 Nec mora, mundati sunt omnes inter eundem.  
 Vnus ubi uidit se mundum tabe cruenta,  
 Glorificans Dominum rediit, gratesq; peregit.  
 Hic fuit à reliquis spretus Samarita misellus,  
 Quem simul ut uidit Christus, respondit & inquit.  
 Nonne decem fuerant mundati à pondere lepræ?  
 Quorsum uerò abiire nouem, Iudæa propago?  
 Ex numero hoc tanto est inuentus nemo uirorum,  
 Qui rediens Domino grates daret altitonanti,  
 Glorificetq; Deum, nisi hic aduena. Dixit & illi,  
 Surge, fides tua te seruauit, uade, ualeq;.

## DOMINICA DECIMA QUINTA.

Matthæi. 7.

**N**emo potest dominus simul in seruire duobus.  
 Diliget aut unum plane, atq; odio alterum habere  
 Aut hunc contemnet prorsus, uenerabitur illum, (bit,  
 Mammonæ atq; Deo non in seruire potestis.  
 Quare agite hæc memori seruetis pectore dicta,  
 Non uos sollicitet uestis, potusq;, cibusq;.  
 Nonne cibo melior uita est, & murice corpus.

d

Respicite



Respiciat heus uolucres cœli, non semina terræ  
 Mandant, non sudant, fruges nec in horrea condunt,  
 Et tamen in cœlis uester pater educat illos.  
 Non igitur uolucres longe præcellitis omnes?  
 Quis uestrum proprijs cubitum queat addere membris?  
 Et cur uos macerat de uestibus anxia cura?  
 Respiciat in campos in prata & amœna uireta.  
 Candida quo pacto sub cœlo lilia crescant,  
 Non operi incumbunt, non nent, non stamina ducunt.  
 Vera loquor, quod nec Salomon, qui floruit omni  
 Regali cultu, tam pulchro adflatus odore est.  
 Nunc si gramen agri Deus hoc dignatur honore,  
 Quod quum hodie crescit, rapido cras traditur igni,  
 Cur non id faciet uobis incredula turba?  
 Non igitur maceret uos crastina cura ciborum  
 Aut potus uestisq; parant hæc omnia gentes.  
 Quin potius primum cœlestia quærite regna,  
 Iustitiamq; Dei comprehendite spemq; fidemq;  
 Omnia tum uobis addentur numine dextro.

## DOMINICA DECIMASEXTA.

Luce. 7.

**I**Pse Naxn Christus cum fratribus ibat in urbem,  
 Atq; sequebatur iudææ copia plebis.

Vt uentum

LIBER.

51

Vt uentum ad portas turbis comitantibus ipsas,  
 Ecce ferebatur media defunctus ab urbe,  
 Filius hic uiduæ fuit unicus, una salusq;  
 Prodit & in funus lachrimans moestissima mater,  
 Et magnus sequitur cœtus iuuenumq; senumq;  
 Quam simul ut uidit Christus miseratus egenam,  
 Heus mulier, dixit, lachrimas effundere noli.  
 Hoc dicto accessit propius, tetigitq; grabatum,  
 Subsister antq; uiri portantes funus, ad illum,  
 Christus ait, Iuuenis tibi dico exurge, subinde,  
 Qui defunctus erat, loculi inter septa resedit,  
 Incepitq; loqui, & genitrici reddidit illum.  
 His super attonitos rebus timor obruit omnes,  
 Glorificantq; Deum magna cum uoce supremum.  
 In nobis uates surrexit maximus, aiunt,  
 Inuisitq; suam Deus alto ex æthere plebem.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA

Lucæ. 14.

**I**ngreditur magni Pharisæi Christus in aedes  
 Ad manducandum, sed stabat hydropicus istic,  
 Cumq; obseruarent illum, respondit Iesus,  
 Nonne licet festis egrum curare diebus?  
 Utq; tacent, hominem apprensam curauit Iesus,

d 2

Ac

Ac dimisit eum, post hæc respondit & inquit :  
 Si cadit in puteum bos atq; auritus asellus,  
 Nónne die festo pecori succurritis omnes ?  
 Et nihil ad Christi potuerunt reddere uerbum.  
 Tum simile inculcat præsentibus atq; uocatis,  
 Accubitum in mensæ querentibus ordine primum.  
 Dixit, quum fueris ad prandia lauta uocatus,  
 Non primis accumbe locis, ne forte uocatus  
 Te melior, tibi sit surgendum, cumq; rubore  
 Postremum seruare locum cogaris in aula,  
 Extrema potius sedes mandesq; cathedra,  
 Ut ueniens dominus coram tibi dicat, amice,  
 In summum conscende locum, tum gloria magna  
 Hoc tibi erit coram simul accumbentibus ipsis :  
 Omnis enim qui se summum facit, ima tenebit.  
 Et contra, qui se minimum facit, altior ibit.  
 Huic quoq; Saluator, qui se inuitauerat, inquit,  
 Quando paras cœnam uel prandia lauta, uocare  
 Cognatos noli, bona qui tibi reddere possunt,  
 Sed claudos, cæcos, inopes tibi delige, qui non  
 Reddere habent, tibi sed reddetur in æthere summo.

DOMINICA XVIII.

Matthæi. 22.

Christus

**C**hristus ubi uerbo Saducæos uicit, in unum  
 Conueniunt rursus Pharisei, Ecce unus Iesum  
 Prouocat ex illis instructor legis, et inquit.  
 Heus bone, quod magnum est mandatū in lege magister.  
 Christus ad hæc, Venerare deum conamine toto,  
 Tota mente Deum, tota ui cordis amato,  
 Inde uelut teipsum præsentem dilige fratrem,  
 His geminis pendent iussis lex atq; propheta,  
 Ergo ita collectis Phariseis, rursus Iesus,  
 Quid uobis, inquit, de Christo in carne uidetur?  
 Dicite uos, cuius gnatus? quo sanguine cretus?  
 Respondent illum Dauidis germine nasci,  
 Cur igitur Dauid uocat hunc dominumq; deumq;,  
 Christus ait, cuncti mox obstupere silentes,  
 Hocq; rogare die uerbum non amplius ausi.

## DOMINICA XIX.

Matthæi. 9.

**I**ngressus nauim Christus traiecit, et urbem  
 Appulit in propriam, mox adduxere iacentem  
 In lecto ægrotum torpentia membra gerentem,  
 Cumq; fidem illorum firmam uidisset Iesus,  
 Heus animo esto bono fili, tibi crimina cuncta  
 Dimittuntur, ait. Sed tanquam iudigna ferebant



Hec scribæ, Christumq; nota blasphemiæ inurunt,  
Sed scrutans renes & pectora dixit Iesus.

Quis furor in uobis? cur hæc mala uestra fatigant  
Pectora? num leuius peccata remittere? totum

Quàm curare hominem, quàm dicere surge ualeq;?

Vt uere agnoscat mundus quàm magna potestas,

Sit mihi in his terris, ægroto dixit Iesus,

Tolle tuum lectum & proprias te confer in ædes.

Surrexit subito firmato in corpore gressu,

Per mediam turbam populi admirantis abibat,

Hinc laudes turbæ domino cecinere, quod alto

Tantam uirtutem mortalibus addidit ipsis.

### DOMINICA VICESIMA.

Matthæi XXII.

**R**egnum cœlorum simile est Hymenæa paranti  
Regali gnato, missisq; per omnia seruis

Compita, qui iubeant cunctos properare uocatos.

Sed cuncti ad regis thalamos transire recusant.

Post alios misit seruos, quibus ista profatur,

Se se magnifice conuiuia lauta parasse,

Altilia & tauros sumptu mactasse superbo.

Illi neglectis dapibus diuersa subibant,

Hic petit agrestis fumantia culmina uille,

Ille

Ille suos questus et grata negotia curat,  
 Infontes reliqui seruos tenuere uocati,  
 Et post probra neci malesana mente dedere.  
 Ac rex commotus misso agmine perdidit illos,  
 Illorumq; urbem rapido succenderat igni.  
 Hinc famulis dixit, Conuiuia lauta parauit,  
 Sed quoniam indignos sese fecere uocati,  
 Ite precor celeres per publica septa uiarum,  
 Utq; epulis adsint ad nostra impellite tecta.  
 Egredi famuli, quos offendere, uocabant  
 Iustos atq; malos, est nec locus usq; relictus.  
 At rex ingressus conuiuia leta reuisit.  
 Indutum quendam polluto uidit amictu.  
 Heus age cur ausus nostris succedere tectis?  
 Ast ubi non potuit mox respondere ministris,  
 Hunc iubet in tenebras mox precipitare profundas  
 Illic stridor erit, fletus, singultus, & horror.  
 Nam pauci electi multi licet usq; uocati.

## DOMINICA XXI.

Ioannis III.

**R**egulus armipotens Galileis uix in oris,  
 Cuius erat gnatus morbo uexatus acerbo,

d 4

Hic

Hic precibus Christum supplex compellat Iesum,  
 Ut gnatum ipsius morbo curaret ab omni.  
 Christus ad hæc dixit. Coram nisi signa uideris,  
 Nulla fides uobis. Sed rursus Regulus inquit,  
 Heus mecum bone Christe precor descende, priusquam  
 Aegrotus fato gnatus decumbat acerbo.  
 Vade domum, Christus, sospes tibi filius, inquit.  
 Credidit hic Christi uerbis, repetitq; penates,  
 En serui occurrunt, gnati cecinere salutem,  
 Mox genitor curæ scrutatur tempus & horam.  
 Atq; ubi cognouit quod tum dixisset Iesus:  
 Vade domum propere sospes tibi gnatus in æde,  
 Regulus ipse Deo cum cœtu credidit omni.

## D O M I N I C A XXII.

Matthæi, 18.

**R**egnum cœlorum simile est regi q; hominiq;  
 Quem iuuat à proprijs rationem sumere seruis.  
 Ecce offertur ei seruus, qui multa talenta  
 Debebat, quem ( cum non posset soluere ) mandat  
 Vendi cum pueris, uxore, & debita solui.  
 Tum famulus dominum prostrato corpore adorat,  
 Heus inquit patienter age, me cuncta daturum  
 Debita polliceor, Dominus miser atus egentem

Protinus

Protinus absoluit, reddendaq; cuncta remisit.  
 Ille autem egressus conseruum offendit & inquit,  
 Mox tibi, quod debes, soluendum est, aut moriendum.  
 Hæc dicens miserum constricto guttore traxit.  
 Ille rogat ueniam supplex, seseq; spondit  
 Cuncta soluturum, sed nil ualuere precatus,  
 Imo manu iniecta conseruum in uincula misit,  
 Donec uel minimum persolueret ipse trientem.  
 Porro conserui quando hæc infanda uidebant,  
 Indolere simul, regi q; hæc omnia narrant.  
 Tum grauius motus dominus, seruoq; uocato,  
 Heus ait oranti tibi debita cuncta remisit,  
 Perdite, non itidem cur conseruo faciebas?  
 Nec mora, uinxit eum tenebroso in carcere, donec  
 Ultima uel minimi reddatur portio nummi,  
 Et Pater ipse meus, rutilus qui præsidet astris  
 Sic faciet uobis, si non de pectore uestro  
 luuerit orantum delicta remittere fratrum.

## DOMINICA XXIII.

Matthæi. 22.

**C**onsultat rursus pharisaica factio Christum  
 Ut uerbis capiat, sumptoq; satellite regis,  
 Discipulos mittunt coram qui talia promant.

d 5

Scimus



Scimus ueridicum te nunc uenisse magistrum,  
 Nec tibi de quoquam cura est, nec respicis ullum.  
 Dic ergo, an liceat nobis prestare tributum?  
 Ille ubi conspexit uapidi penetralia cordis,  
 Quid me uersuti, dixit, tentatis inique?  
 Oblatoq; auro, uisoq; numismate census,  
 Cuius imago, inquit, cuius inscriptio? dicunt  
 Caesaris. At Christus mox intulit, ergo tributum  
 Reddite Caesaribus, summoq; holocausta parenti.  
 Hoc dicto stupidi, cuncti illo abiire relicto.

## DOMINICA XXIII.

Matthæi IX.

**V**Nus primatum Christum reuerenter adorat,  
 Ab non defuncta est mea filia, funus accerbunt,  
 Ipse ueni atq; impone manum, tunc functa resurget.  
 Haud mora cum socijs illum est comitatus Iesus,  
 En mulier, fluxus quam bis sex torserat annis  
 Sanguinis, & totum in medicos profuderat aurum,  
 A tergo accedens sic credula cogitat, o si  
 Extremam Christi possem contingere uestem  
 Salua statim fierem, Tum Christus dixerat illi:  
 Filia ne trepida, tua te fiducia saluam  
 Fecit, & extemplo steterat fons ille cruoris.

Atq; ubi uenisset Christus primatis in aedes,  
 Et populi audisset fremitum uocemq; tubarum,  
 Credite mox inquit, non est defuncta puella,  
 Sed tantum placido deuicta sopore quiescit.  
 Talia dicentem populus ridebat Iesum,  
 Sed Christus pulsa turba, eiectoq; tumultu  
 Ingressus, dextram tenuit, dixitq; puellæ.  
 Filia dico tibi confestim surge ualeq;  
 Protinus exurgit defuncta, cibumq; recepit.  
 Rumor hic externas Christi manauit in urbes,  
 Et populi summo laudes cecinere tonanti.

## IN DEDICATIONE TEMPLI.

Lucæ. XIX.

**I**ngressus uenit Christus Hierichuntis in oras,  
 Ecce uir illustri Zachæus nomine fama,  
 Et peccatorum princeps, diuesq; potensq;  
 Gestijt hic dominum spectare, quis esset Iesum,  
 Sed sua præ turbis implere optata nequibat,  
 Corpore paruus erat, quare præcurrit in agros,  
 Et quod non habuit natura ex corpore, supplet  
 Arboris ascensu, quem cum uidisset Iesus,  
 Heus Zachæe, inquit, celeri descendito passu,  
 Namq; tuas hodie diuertar oportet in aedes,

Nec

Nec mora festinus descendit, & excipit illum.  
 Hæc ubi uidissent Pharisei, murmura miscent  
 Quod peccatoris sceleratas isset in ædes.  
 Stans autem Zachæus ait, Domine ecce bonorum  
 Dimidium miseris & egenis præsto meorum,  
 Si quem præterea lusi cum fœnore reddam.  
 Christus ait, domui huic facta est uirtusq; salusq;  
 Filius Abrahami quod sit quoq; factus & heres,  
 Venit enim supera Christus Saluator ab arce  
 In terram, ut quærat, quæ perdita, quæq; reducat.

## PRECATIONES

(QVAS VVLGO COLLECTAS  
 uocant) quibus utitur Ecclesia  
 diebus Dominicis.

### DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Heus age dirumpat tua diua potentia cœlos  
 O pater, heus gnatum mitte benigne tuum,  
 Eripi ut è uicijs mereamur te duce cunctis,  
 Nostra quibus misere saucia corda iacent.  
 Atq; ubi sint cordis purgata piacula nostri

Migret

ECCLESIASTICAE.

61

Migret in aethereos spiritus ipse choros.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Excitet alme parens tua gratia pecora nostra,

Et uia sit gnato iusta parata tuo.

Huius ut extremum aduentum expectemus ouantes,

Da tandem aeterna posse salute frui.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Aure preces facili pater optime suscipe nostras,

Quaesumus & fusa nos tueare prece,

Et nostri horrendas illustra pectoris umbras,

Vt tenebris pulsus lux micet alma tuis.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

Heus age summe parens tua magna potentia mundo

Fulgeat, & nobis inclyte pastor ades.

Te duce sunt nostrae purgata piacula culpae

Te duce sit rutilo mens socianda polo.

IN CHRISTI NATALITIO.

Da famulis pater alme tuis mysteria gnati

Obsequio digno sic celebrare tui,

Vt noua credentes Natalis liberet omnes

Quos uetus illaqueat criminis usq; iugum.

DOMINICA NATALIS.

Ad



Ad tua uota parens actus sic dirige nostros,  
 Et nos fac placitum semper obire tuum,  
 Ut tibi per Christum meritos soluamus honores,  
 Qui satus intacta est uirgine uerus homo.

## EPIPHANIAE.

Summe parens cuius lux inclyta uerberat orbem,  
 Et pulsis tenebris sidera clara micant.  
 Quiq; tuum gnatum stella duce gentibus ortum,  
 Monstrasti, & Christi paruula regna tui.  
 Perpetua concede tuis gaudere salute,  
 Et fac tranquillos semper habere dies.  
 Quodq; Magorum oculis adflasti & mentibus, illud,  
 Splendidulum nostris cordibus adde iubar.

## DOMINICA PRIMA POST

Epiphaniæ.

Vota Deus populi solita pietate capesse,  
 Mansuescant nostra numina lesa prece.  
 Ut quid opus factio, puris spectemus ocellis,  
 Et duce te sanctum concomitemur opus.

## DOMINICA II.

O pater omnipotens terræq; poli; creator,

Cuius

ECCLESIASTICAE.

63

Cuius ad hæc nutum machina tota tremit,  
Tu nostras admitte preces clementer & audi,  
Et fac securæ pacis habere dies.

DOMINICA III.

Respice quàm fragilis nostræ est substantia carnis,  
Et pater optatam cœlitus adfer opem.

DOMINICA IIII.

O pater in fragili qui tanta pericula carne,  
Vulnera, & ærumnas, probra, crucemq; locas.  
Quæsumus ut miseris præstes medicamen olympo,  
Quod nostris sanctam uiribus addat opem.  
Tu mentes ægras & corpora fessa leuato,  
Corpora letifero semisepulta thoro.  
Ut quas ob culpam meruit mens conscia pœnas  
Te duce uincamus, desq; salute frui.

DOMINICA V.

Custodi pater alme tuos pietate perhenni,  
Qui solus nostræ es portus & aura ratis,  
Ut qui spe sola diuinæ innitimur auræ,  
Auxilium liceat semper habere tuum.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

Vota

Vota tui populi clementer quæsumus audi,  
 Et pie deuotas suscipe Christe preces,  
 Vt qui pro nostro delicto adfligimur, in te  
 Abluti æternam percipiamus opem.

## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Conspicis alme parens, quàm sit nostra actio nulla  
 Quàm inualidæ uires inualidumq; caput,  
 Nos precor in cunctis solita pietate periculis  
 Conferua, et rutili gaudia redde poli.

## DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Audi quæso preces supplex pater optime nostras,  
 Sordibus absterfis noxia pelle procul.

## DOMINICA INVOCAUIT.

Tu scelere offensus pater accipe uota precantum,  
 Et ueniat noster in tua sancta dolor.  
 Nam peccasse pudet, tu tolle flagella benignus,  
 Quæ peperit famulis lubrica uita tuis.

## REMINISCERE.

Magne pater diuum proprium est cui parcere semper,  
 Nomen inexhaustæ qui pietatis habes.

ECCLESIASTICAE.

65

Non uis ut pereat peccator crimine merfusus,

Conuersus uiuat uis benedicte magis.

Parce igitur culpis, & quæq; libidine turpi

Irrepere animis te miser ante cadant.

DOMINICA OCULI.

Quæsumus alme parens tu respice uota piorum

Subq; tuis alis plebs tua tuta cubet.

LAETARE.

O pater ex nostris qui iuste adfligimur ausis,

Et quos infandum trudit ad ima scelus.

Da precor absterfis diuina palatia culpis,

Vt tuus aeterno tempore duret honor.

IUDICA.

Conditor alme tuum qui nostra ob crimina gnatum

Vt nos eriperes è Phlegetontis aquis:

Sponte sua nostræ tolerantem incommoda uitæ,

Passus es horrenda morte subire crucem

Fac ubi putre cubat tumulo post fata cadauer,

Migret in aethereas spiritus ipse domos.

DOMINICA PALMARVM.

Rex hominum & summi soboles aeterna parentis

Pro nostra ueniens Christe salute mori.

Qui subis ærumnas mortali in corpore nostras

Pro nobisq; ferens uulnera, tela, crucem,

ε

Impia



Impia qui proprio purgasti sanguine secla  
 Mersa luto scelerum quæ iacuerè diu,  
 Tu nostri miserere deus miserere tuorum,  
 Te dignum nostris fletibus esse sine,  
 Per madefacta precor tua uulnera mitis adesto  
 Ne timeant Stygios conscia corda lupos.  
 Tu nos Christe tuis tu nos defende sub alis  
 Abluat effusus crimina nostra cruor.  
 Tu uia, uita, salus, portus, medicina, triumphus,  
 Tu satis es nobis, te sine nulla salus.

## DOMINICA PASCHAE.

Summe parens ad regna tuo qui cœlica gnato  
 Deuicto mortis principe pandis iter.  
 Quas pius aspiras lachrymas et uota, precesq;  
 Implere ut liceat tu Deus adfer opem.

## QVASI MODO GENITI.

Da pater omnipotens, ut qui Paschalia festa  
 Et Christi latos egimus usq; dies.  
 Da precor ut nostris sint consona pectora uerbis,  
 Et quod uerba docent, id quoq; facta probent.

## MISERICORDIA DOMINI.

Sancte parens humili qui per dita secula gnato  
 Erigis, è populo tristia deme tuo.  
 Et quos perpetuæ rapuisti è carcere mortis,

ECCLESIASTICAE.

Hos fac æterna pace bonisq; frui.

IUBILATE.

Qui miserū reuocas à crimine Christe popellū,

Et uerum uero lumine pandis iter.

Christigenis concede tuis, tua uota sequantur,

Quæq; tuo uerbo sunt inimica, negent.

CANTATE.

Qui facis unanmem concordie pectore plebem,

Et Christi geminos uerba subire polos.

Quodq; iubes concede tuis id amare popellis,

Et tua quæ spondes poscere uota lubens.

Mundanas inter res ut sint pectora nostra

Fixa ubi sunt summo gaudia uera polo.

VOCEM IVCVNDITATIS.

O Deus, unde fluit rerum uarrago bonarum,

Porrige supplicibus numina sancta tuis.

Vt memores quod sit teneamus te duce rectum,

Teq; gubernante perficiamus idem.

IN ASCENSU DOMINICO.

Da pater omnipotens, ut qui cœlestibus ausis

Ad cœlos gnatum credimus isse tuum.

Dum manet in terris putre & mortale cadauer,

Viuat Olympiacis spiritus ipse choris.

EXAVDI.

Sit pater in nobis semper tua sancta uoluntas,  
Et tibi fac dignas pangere corde preces.

## DOMINICA PENTECOSTES.

O pater omnipotens, qui credula corda tuorum  
Implesti rutilo pneumatis igne sacri,  
Aethereum nostris iubar implue sensibus illud,  
Coetus Apostolicus quo solidatus erat,  
Ut rectum semper mens cogitet, osue loquatur,  
Atq; operi diuam spiritus addat opem.

## DOMINICA TRINITATIS.

Summe Deus triadem puro qui pectore sanctam.  
Donasti famulus credere posse tuis,  
Et monadem lachrymis in maiestate profusis,  
Poplite & flexo numina scire Dei.  
Ut fidei inuictio firmatos robore sanctæ,  
Quæsumus à cunctis nos tueare malis.

## DOMINICA I.

Magne parens in te sperantum maxima uirtus,  
Quin patula nostras accipis aure preces,  
Nam sine te frustra mortales cura remordet,  
Hic ubi diuina destituuntur ope.  
Te duce fac leges implere fideliter omnes.  
Quapropter superam tu pius adfer opem,  
Intrepidi ut Christi possimus adire tribunal,

Et post fata sacro uiuere in Elysio.

## DOMINICA II.

O pater omnipotens celsi fabricator Olympi

Munia fac aures nostra mouere tuas.

Sit timor in nobis & amor, sit gloria, uirtus,

Magnifice nomen fac celebrare tuum.

Nunquam etenim abs te aliquis non exauditus abiuit,

Quem tibi coelestis numine iunxit amor.

## DOMINICA III.

Sancte parens in te sperantium uita salusq;

Et custos plebis spesq; decusq; tua.

Quo sine nil ualidum, nil sanctum permanet unquam,

Implue tu nobis cum pietate fidem.

Vt duce te mundi commeritia uana perosi

Intret in aeternas spiritus ipse domos.

## DOMINICA IIII.

O pater omnipotens mundi tu dirige cursus

Te duce sit nobis pax bona, uita, salus,

Fac pariat fidei sanctos Ecclesia fructus

Te duce tranquillos uiuat agatq; dies.

## DOMINICA V.

Omnipotens eterne Deus qui sponte parasti

Dilectis famulis coelica regna tuis.

Viuisicum nostris infundito cordibus ignem,



Nostris synceram sensibus adde fidem.  
 Ut te laudantes celebri super omnia cantu  
 Promissis liceat semper adesse tuis.

## DOMINICA VI.

Heus age uirtutum cultor, bona cuncta gubernans  
 Quicquid sub his astris optima quæque creas.  
 Infere pectoribus cælestia numina nostris,  
 Crescat et in nobis fac precor alma fides.  
 Ut bona quæ dederis foueas, et numine sacro  
 Quæ data sunt serues, et pietate colas.

## DOMINICA VII.

Summe parens, cuius nulla in re fallitur ordo,  
 Omnia et arbitrio stantque caduntque tuo.  
 Fac precor à nobis ut noxia quæque repellas,  
 Et bona quæ profunt reddito cuncta pijs.

## DOMINICA VIII.

Pneuma tuum largire sacrum pater optime nobis  
 Implue uiuificum in pectora nostra iubar.  
 Fac age quid reatum, quid sanctum, quid uere decorum,  
 Mens capit et promunt guttura, facta probent.  
 Ut sine te nullam qui uiuere possimus horam,  
 Exigere indultos te duce præbe dies.

## DOMINICA IX.

Vota Deus facili pia quæsumus aure capesse,

Et nostra

ECCLESIASTICAE.

71

Et nostræ ueniant in tua sancta preces  
Supplicibusq; tuis ut præstes dona cupita  
Fac tibi quæ placeant, poscere semper opes.

DOMINICA X.

Summe pater, cuius diuina potentia fulget  
Parcendo ad geminos & bonitate polos.  
Fac tua mansuescat nostro censura precatu,  
Gratia sit famulis conciliata tuis.

Ad tua supplicibus currentes munia uotis,  
Fac post æthereas fata subire domos.

DOMINICA XI.

Alme parens fidei fons & pietatis origo  
Qui populo adspiras uota precesq; tuo,  
Fac tua nos foueat pietas, tu crimina purga,  
Et duce te lapsis gratia præstet opem.

Conscia quas meruit mens nostra abradito culpas,  
Ut nostræ ueniant in tua regna preces.

DOMINICA XII.

O pater omnipotens de cuius munere uenit  
Ut tibi credentes congrua dona ferant,  
Ad tua nos lachrymis fac currere uota profusis,  
Præcludant nostram scandala nulla uiam.

DOMINICA XIII.

Da pater ut sanctum plebs credula spiret amorem

Crescat & in famulis spesq; fidesq; tuis,  
 Et tua ut illustri capiamus uota triumpho,  
 Fac quæ decernis semper amare lubens.

## DOMINICA XIII.

Stet tua sancte parens Ecclesia pace perhenni,  
 Et duce te inuicta sit solidata basi.  
 Nam sine te languent humano in corpore uires,  
 Et rumpunt uigiles stamina nostra deæ.  
 Quæsumus adfer opem, sic noxia quæq; repellas,  
 Et nostra auxilijs dirige uota tuis.

## DOMINICA XV.

Sit Deus alme tua pietate Ecclesia munda,  
 Et plebs auxilio sit solidata tuo.  
 Et quia salua potest sine te consistere nunquam,  
 Semper eam stabilem numine redde tuo.

## DOMINICA XVI.

Nos pie præueniat tua gratia nosq; sequatur,  
 Vt sanctum in nobis semper abundet opus.

## DOMINICA XVII.

Da Deus infernæ contagia dira cohortis  
 Et fugere humani spurca uenena luti.  
 Vt tua syncera sectemur dogmata mente,  
 Fac letum in superis tempus habere choris.

## DOMINICA XVIII.

Dirigat

Dirigat omnipotens pietas tua pectora nostra,  
 Nam sine te nihil est posse placere tibi.

## DOMINICA XIX.

Cuncta Deus nobis aduersa excludere benignus,  
 Adsis supplicibus rex benedictis tuis.

Vt positi pulsus in libertate procellis,

Quae tua sunt superum uota sequamur ope.

## DOMINICA XX.

Quaesumus alme pater populo largire fideli

Et sine sorde animos, & sine lite dies.

Vt simul offensa & macula purgatus ab omni

Supplice te semper excolat ore Deum.

## DOMINICA XXI.

Te pater omnipotens deuoto quaesumus ore

Custodi plebem pro pietate tuam,

Libera ut in cunctis te sit custode periculis,

Et tibi synceras soluat agatq; preces.

## DOMINICA XXII.

Spes nostra & uirtus, scutum, munimen, asylum,

Publica Christigenum suscipe uota Deus,

Qui pietate uales, da cum uirtute potiri.

Quod petimus fusa credula turba prece.

## DOMINICA XXIII.

Ablue queso tui pater ò delicta popelli



Que genus humanum sub sua iura trahunt.  
 Ut peccatorum deterfis te duce uinclis  
 Possimus rutili regna subire poli.

## DOMINICA XXIII.

Quæsumus omnipotens tua gratia uelle tuorum  
 Excitet, & nostrum numine firmet opus.  
 Ut fidei fructus solida hic pietate ferentes,  
 Postmodo cœlestem percipiamus opem.

## DOMINICA XXV.

Huc ades alme parens, tua magna potentia tecum,  
 Qua Phlegetontiacos obruis ipse Deos,  
 Quisq; tuæ plebi clemens promiseris olim  
 Vsq; tua in finem gratia seruet opes.

F I N I S.

DE PASSIONE DOMINI



# DE PAS-

SIONE DOMINI NOSTRI IESU

*Christi, Autore Ioanne*

*Calceato.*



VBE sub humana mortales in-  
ter agentem  
Aggredimur Christum, sceptri  
qui oblitus est aula  
Aethereæ, noxis hominum præ-  
demq; uademq;

Se stipulaturus, terras descendit ad imas.  
Tanta deum tenuit clementia, tantus amorq;  
Ut culpas hominum serua sub imagine præsens.  
Soluerit, et uictor stygij spolia ampla tyranni  
Per crucis arumnas, et lamentabile fatum,  
Vexerit ad cælos, superisq; locarit in oris.

Vnde tibi obrepsit tantus furor? unde laborem  
Iniusto sub fasce trahis, nimium inmemor ausus  
Musa tui? coeptum poterisne absoluere carmen?  
Cui colophon, omnisque calor pimplæius ultro  
Cederet, et Clio nisus andina negaret  
Fessa suos? fateor, nostris est uiribus impar  
Hoc opus: at Christi pia me præconia tantum  
Afficiunt, stultum ut uoto diffidere credam.

Ergo Christe patris soboles æterna supremi,  
Da mihi felicem tua per uestigia cursum.

Lapsa tuo patrioq; sino charis enthea nostris  
 Sensibus insiliat, duce qua labor orsus ad inum  
 Perueniat, uide amq; mei subtegminis oram.

Postquam discipulis sacra mysteria coenæ  
 Maximus indixit monitor, mæstosq; benigno  
 Affatu, socios melius sperare suasit:

Actutum egreditur, simul accessurus opaci  
 Trans Cedrontis aquas, uernis ubi floribus halat  
 Hortus, oliuiferae situs ad decliua rupis.

Quò simul ut uenit, pro campi limite quosdam  
 Dimisit socios, uotis loca conscia iturus.

Tres tamen appellat secum, quibus ipse loquatur,  
 Quæ magis urgebant animum mærore repletum.

Filioli scitote, inquit, me plurima tristi  
 Ferre animo, uitamque meam mors pene subegit,

Intentatque illi pœnas, sensumque cruento  
 Lancinat insultu, uos ergo expellite somnum,

Et mecum excubias seruate, remotus abibo  
 A uobis paulisper, enim res postulat ut orem.

Vos omnes orate simul, ne debilis orcum  
 Victorem caro uestra ferat, nam manibus obsunt

Excubiæ, & palmam trucibus pia uota reportant  
 A laruis, uigilate ergo contra agmina seua.

Hæc ait, & iactu lapidis discessit ab illis.



Nec mora, cœlituum sator optimus atq; hominum rex  
Lambit humum supplex, prostratus corpore toto.

Dein genua incuruans, genitorem talibus orat :

Alme pater rerum cui plena potentia seruit,  
Quem penes imperium mortis, uitæq; relucet,  
Ut mundi pendam pœnas si sanguine nostro  
Immotum tibi longe ante est, promptissimus adsum  
Debitor, haud renuens tolerare miserrima quæq;  
Pro genere humano, quamuis detrectet amaram  
Sors humana crucem, nolitq; doloribus uri.

Hæc fatus, socios somno & mœrore grauatos  
Visitat, instantemq; monet uitare ruinam  
Orandi studio, rursum nec deinde moratur  
Implorare patrem, sociosq; reuisere tristes.  
Quos ubi sic uidit, repetitis patris in aurem  
Ter precibus, solito tandem prolixius orat :  
Dumq; preces auget, gemitusq; frequentat anhelos,  
Heu cutis in guttas rubri liquefacta uaporis  
Certatim stillans, terram miro imbri cruentat.

Cernitur interea superum de ciuibus unus  
Astare obsequio, & solantis munere fungi.  
O ( ait ) in manibus præsto est uictoria felix,  
Et pauitas, uirtute tua qui secula firmas?  
Tot grauias passus tot iamq; laboribus actis

Tu pastor

Tu pastor quæris pecudem, nec longius errat.  
(Cras nempe inuenies, quod tanto tempore quæris)  
Mors subeunda tibi est ( esto ) sed mors tua mortem  
Destruet, & uitæ fiet cœlestis origo  
Omnibus humanis, tua qui præcepta sequentur.  
Ergo rex noster, summi stirps unica patris,  
Præteritos frustra casus es passus acerbos,  
Hanc nisi constanti tuleris certamine mortem.  
O rex uince metum, mortis lucra prospice quæ sint.  
Morte tua nostras sarcis hominumq; ruinas.  
Te ne ergo adiutor miserorum Christe pigebit  
Momentum cædis tanta pro merce pacisci?  
Pelle igitur gelidum constanti à corde pauorem:  
Crastina lux poenas omnes in gaudia uertet.  
Si crucis horrendum funus per ferre recuses,  
Culpabit leuitas conuentum immobile cœli.  
Tu ne es pollicitus, miseris mortalibus olim  
Auxilium ferre? & captiuis reddere primam  
Libertatem animi? sedesq; aperire beatas?  
Sis memor, ut nostri quondam pars magna senatus  
Degener, æternis cecidit plectenda tenebris.  
Ut loca repleres deserta, poli q; ruinas,  
Fecisti cœlo dignos, & origine mira  
Humanos in carne animos: sed foedera tecum

Ruperunt

Ruperunt. uerum est, & se hoc peccasse fatentur.  
 Sed dare supplicibus ueniam, pœnasq; superbis  
 Nonne tuum inferre est? sola hac ratione figuram  
 Sumpsiisti humanam, fragiles quoq; corporis. artus.  
 Cur igitur trepidas homini succurrere lapsu?  
 Quem genius fallax, cocytiq; accola demon  
 Hastenus exagitant bacchantes, quemq; Megera  
 Trux face, crine minax, comitata sororibus atris,  
 In barathri casses, & subterranea iura  
 Vrget agens secum, pœnisq; auctorat auernis.  
 Degeneres socios numerum penitusq; ruentem,  
 Cui sarcire datur, miseri si tædeat Adæ  
 Instaurare genus? quod stringit pessima quondam  
 Deditio, nullis prorsus resolubilis armis,  
 Si tua defuerit tanta ad molimina uirtus:  
 Dixit, & astriferum pernix conscendit olympum.

Tum fidens animo, mortiq; paratus acerbæ  
 Rex pius, inuisit socios torpore sepultos:  
 Quos demum increpitat, uerbisq; incessit amicis  
 Heccine præstatis regi fidissima uestro  
 Præsidia? hei uigiles mecum non esse per horam  
 Quiuistis? cedo, iam nunc dormite parumper,  
 Hæc ubi continuo armorum fr agor eminus auras  
 Verberat, apparens lychnisq; micantibus aër

Flammi-

Flammicolor, pulsam noctis miratur abyssum,  
 Et procul in tenebris tædæ & funalia splendent.  
 It prior ad facinus Iudas animatq; sequaces,  
 Atq; ait, O socij cuicumq; ego basia figam,  
 Hunc cauta retinete manu, ne lubricus astu  
 Vos magico eludat solus, quem quæritis ipse est.

Protinus omnituens hominum superumq; creator,  
 Qui nostra causa, nostra sub carne latebat,  
 Excitat à somno socios ac talia fatur:  
 Surgite, sufficiat uobis gustasse soporem.  
 Ecce uenit Iudas, turbis comitatus iniquis  
 Proditor, ast illi me primum occurrere præstat,  
 Dixit, & in rabidos fertur mox obuius hostes  
 Promptus obire necem, quos tandem uoce modesta  
 Sic est aggressus: quæ uos huc causa perurget?  
 Eya agite, an numero de nostro quæritis ullum?  
 Ad quem, Nazareum, turba impia clamat, Iesum  
 Quærimus, extemplo quem quæritis (inquit) ego sum.  
 Mox hac uoce retro cedunt, quos pone ruentes.  
 Vis inuisibilis lucta resupinat atroci,  
 Horrendoq; premit lapsu, uelut Herculis illos  
 Corripiat morbus, sensum qui sensibus aufert.  
 Rex tamen innocuus, prostratis hostibus ultro  
 Indulget uegetos artus, solitumq; uigorem.



Contaturq; iterum, si quenquam nocte profunda  
 Expeterent, illi dicunt se querere Iesum  
 Nazareth indigenam. quibus ampli conditor orbis  
 Rursus ait: uobis coram quem queritis adsum,  
 Me capite, et socijs abeundi copia detur.

Protinus irrupit seuis ingrator hydrys  
 Infelix Iudas, mensis accumbere diuūm,  
 Atq; senatoris fasces, & munia cœli  
 Accitus gerere, illum ni abduxisset olympto  
 Auri sacra fames, qua tantum cæcus oberrat,  
 Aestimet ut nauis Iudæis hostibus alnum  
 Vendere foterem, sub pacis imagine teclus  
 Proditor. idcirco ueritus nihil omne decorum,  
 Sed ius phasq; terens, cæco pede currit ad horrens  
 Heu scelus, & malas temere contingit heriles  
 Ore opico, uerbumq; necis miser inflitor offert  
 Dulcis amicitie prætextu. Maxime rabbi  
 Inquit, aue. subito data postquam signa fuerunt,  
 Conuolat ad facinus feralis turba patrandum,  
 Immemor infamis casus, reprobæq; ruinae.

Tunc prius alloquitur Iudam mitissimus heros:  
 Iuda, te ne unquam factio uel fame læsi,  
 Ut me ter denis deberes uendere nummis?  
 Ad quid amice uenis? sub signo fœderis atrum

Heu uelas odium, & gladio prætexis oliuam,

Oscula dum pacis mutas in spicula belli.

Scorpius ore linit, sed caudæ intoxicat arcu.

O Iuda, hostilem te nunc sentimus amicum.

Heu miser osculando cur per te trador iniquis

Hostibus? ô utinam tanti te criminis olim

Pœnituisse iuuet, nec eas in tartara pessum

Pro scelere admissio. sed qui respiscere non uult,

Frustra optatur ei pal. hræ spes læta salutis.

Sic Iudæ. Iudam demum sectantibus insit:

Vos itaq; ô miseri, facinus parate nephandum.

Mox ubi conticuit, uiolento inuaditur ausu,

Contra seq; ruunt hominum fera turba malorum,

Qui intricant manibus spiras, & tortile spartum,

Et multo incuruant ferro cœlestia colla,

Atq; trahunt illum uinctis post terga lacertis.

Quos ita se contra furiosos conuenit heros:

Tanquàm ad latronem gladijs & fustibus omnes

Armati, tenebras scelerum questis anicas,

Vt me comprehensum uestra ad tormenta uocetis.

Cur magis hoc placuit noctu, quàm sole corusco

Hoc patrare nephas? nisi quod confiditis atræ

Noctis in auxilijs, tenebrarum pignora tanquàm

Vos ostendentes: etenim sub fornice templi

Propatulo, semper uobis præsens egi  
 Officiū doctoris, erat tunc hora paratum  
 Me rapiendi, æquas si leges iurāq; uobis  
 Ferre patrociniū scissetis, sed malus horret  
 Teste die peccare palām, securius umbris  
 Semper in obscuris credens sua facta latere.

O stultas hominum curas, o cæca nocentum  
 Consilia, an uitij impune uacabit agendis  
 Peccator, latebras noctis si querat opacæ,  
 Et putet aspectus solos debere caueri?  
 Conscia mens sceleris, pauido sub pectore semper  
 Vltrices patitur furias, quas clara nec auget  
 Lux, nec nox minuit, sed sit sibi carcer & uncus.

Tum Petrus accensis animis, defendere stricto  
 Ense parat dominum, quem non iniuria tanta  
 Vreret? idcirco Malchum speculatus adibat  
 Secturus mediū, nisi Christi gratia ferro  
 Vibrato auriculam tantum refecare dedisset.  
 Atq; etiam dominus proprij mox uindictis iras  
 Improbat exertas, harpenq; recondere iussit  
 In forulum, neq; enim uindictæ tempus ( ait ) nunc  
 Est Petre, sed pœnæ, nam si conflagere uellem  
 Armorum strepitu, clipeo protectus & hasta,  
 Me pater oratus uallaret milite multo.

Vas aloes, tristemq; scyphum, pater ipse propinat,

Nec licet ut renuam, cur me defendis omissum

A patre? uult ille ut patiar, sine, iussa sequamur.

Te ne fugit, gladijs alium ut quicumq; necarit,

Sit similis poenæ mortem subiturus acerbam?

Ergo sine ut patiar, sic de me oracula santur.

Nec mora, truncatum propius uocat, atq; reuulsam

Auriculam instaurans, pro damnis dona reponit.

Sed nihil ingratos bonitas tam grandis ab ira

Auocat: imò audent peiora prioribus. illum

Nempe alius pede pugno, alius contundit, & urget.

Mille modis alij gaudent seuire, studentq;

Vt longa ieiuna fame lupa seuit apertas

In caulas ouium, tota feritate uorando

Nunc has nunc illas, nec quos considerat artus

Mordeat, haud aliter colaphos & uerbera Christo

Impingunt feces hominum. Satanæq; ministri.

Sic tractando illum ueniunt primatis ad Annam,

Qui socer extiterat Cai. phæ, nam templa regebat

Illo anno Cai. phæ, tanto tam indignus honore.

Discipuli interea uiso discrimine, lapsis

Viribus expauiant, animo pactoq; remisso,

Quo fore se comites uitæ mortisq; ferebant,

Deficiunt omnes dominum solumq; relinquunt,

Grex ut & eliso passim custode uagantur,  
Et sibi parcentes, querunt loca tuta pauori.

Assiderat quidam tantum una syndone tectus,  
Quem dum praecriperet licitorum insana potestas,  
Exuias liquit, nudusq; profugit ab illa.  
Ast procul à tergo domini uestigia Petrus  
Subsequitur comitante uno, summatibus adis  
Qui bene notus erat, facilis quapropter in aulam  
Praesulis intrauit, stanti pro limine Petro,  
Quem trahat ut secum poscit therapentida ualuis  
Praefectam, illa Petrum cernens, sectator Iesu  
Hic, ait, est, subido gelidus pauor ossa cucurrit,  
Oraq; discipuli facit obiurare magistrum.  
Qui postquam ingressus, pupillis per uaga flexis,  
Lustrat ubiq; uigil, tremulos quoq; circumat orbes,  
Si qua parte queat domino apparere relicto.  
Hinc amor inde metus, Petri intestina reuellunt,  
Luctaturq; truci dubius certamine secum.  
Heret amor domino, metus improbus arcet amantem.  
Hunc ita diuulsum nocturnus permeat algor  
(Frigus erat siquidem) mox uictus frigore Cephas  
Algidus ante focum, murmur strepitumq; cientes  
Lixarum cuneos inter, se miscet ad ignem,  
Dum que calet prunis Christi ex praesepibus esse

Arguitur



Arguitur, negat ille, tremens repetitq; penatum  
 Vestibula, horarum confestim nuncius ales  
 Occidit, atq; satis nondum Bariona monetur  
 Criminis admissi, tantus stupor occupat illum.

Talia dum fiunt uerbis compluribus Annas  
 Sollicitat Christum, quærit nouus unde magister  
 Venerit, O, inquit, doctrinam fare recentem  
 Quis doctore tenes? & cuius munere certos  
 Colligis a seclis? & quis tibi iura cathedræ  
 Contulit? ut populum doceas noua dogmata? mirus  
 Viuendi modus iste, notat te pessima quædam  
 Moliri, fraudesq; nouas ita cogis agendo.  
 Cui Christus, male reris, ait, nec techna doliuæ  
 Conueniunt mecum. sed contio nostra salubris  
 Omnibus audita est, mihi si discredis, habentur  
 Innumeri testes, hos percontare, reuoluent  
 Quicquid in æde sacra docui, clàm nempe loquutus  
 Sum nihil, ecce palàm nouere quid ipse ego dixi  
 Qui templi sola sepe terunt. Sic fatus honestum  
 Obdidit os, subito Malchi cognatus adularis  
 Pontifici, impingit palma clangente modestis  
 Maxillis alapam, fastuquæ insultat amaro.  
 Sic reuereris ait, cydarim, sanctumq; logeion,  
 Ampullosa tumens ut uerba loquaris? & ipso

Si nescis coram stas præfule, disce superbum  
 Hac alapa tandem labium compefcere, nec sis  
 Irreuerens posthac, alias stultum te esse probabis,  
 Ad quem Christus ait: temeraria fatus haberem  
 Iure pati colaphos, sed quando iusta rogati  
 Reddidimus, scelus est ut tanto uerbere lædar,  
 Hos tibi debueras certos accersere testes,  
 Ut male me fatum traheres sub iudicis aurem.

Atq; ita dum rauco mugit domus illa tumultu,  
 Iussu Annæ dominus nodosa cannabe uinctus  
 Ducitur ad Caipham, fuerat quippe illius anni  
 Alpha sacerdotum, cui postquam sistitur agnus  
 Cœlestis, præceps illuc synagoga uocatur  
 Tota senum, causasq; quibus condemnet Iesum  
 Rimatur, tenditq; suos mens dædala neruos,  
 Opprimat ut falso uel saltem teste perosum.

Dum uiget in pœnas Christi crudele malorum  
 Ingenium, Cepham mordax & plurima rodit  
 Suspicio, timet ille pati nisi cesserit illinc,  
 Sed monitoris amor suadet confidere tecto.  
 Speq; metuq; diu iactatus, spicula tandem  
 Suscipit horroris, quando scitantibus utrum  
 Ipse comes domini foret, ad responsa citatus  
 Urgetur, nec enim multis cogentibus ullum

Præstatum

Præstatur spatium fugiendi ut coguet artem.  
 Vult ideò resiliire foras, & cedere turbis,  
 Huc illucq; uagus nictat, transuersa tuendo,  
 Si queat elabi. porro conatibus istis  
 Indidit ad liquidum Christi quod ab agmine staret.  
 Acris unde leues ancillæ, & cacula sordens  
 Insultant Petro, buccisq; crepantibus arctant.  
 Dic nobis, auunt, cur huc iter usq; capeßis?  
 An te posse putas nos cauto fallere gestu?  
 Vah uaser, ecce habitus, uox, ora, modusq; latendi  
 Te fore declarant Galilæi examinis unum.

Ecce tot increpitis linguis subcumbit iniquis  
 Petrus, & in uitio sperans latitare, negauit  
 Se nouisse uirum, iuramentoq; scelestam  
 Confirmat uocem, sese quoq; desecrat amens.  
 Extemplo auditur sonitum cristata uolúcris  
 Ingeminare suum, quem dum Petrus auribus haurit,  
 In mentem reuocat præfagia uera magistri.  
 A quo dum præsens spectatur, protinus igne  
 Interiora uri sentit præcordia diuo,  
 Et propter facinus commissum, uapulat intus  
 Cæca acie, cordisq; sui præsentit abyssos  
 Laxari in scatebras lachrymarum. iamq; per orbes  
 Doris amara duos fluxu prorumpit aperto.

Iam nequit ulterius tam largum clauiger imbrem  
 Calare indignis, loca querit amica dolori,  
 Donec herus flentem dignetur uisere feruum.

Interea fera gens pausas crudelibus actis  
 Non patitur fieri, iugem cum crimine noctem  
 Et diuinam animam uaria in tormenta uolitant.  
 Grex uelut alituum rostris petulantibus icit  
 Butonem, si forte auras accedat apricas:  
 Non secus infestat turba ingratiſſima Christum.  
 Nam dum Pontifici reſpondet uera rogatus  
 Tanquam protulerit dirum mortalibus omen,  
 Se Christum tacite inſinuans, damnatur ab ipſo  
 Præſule, qui ſciſſo productæ ſtamine chlene  
 Inclamat ſeſanus eum blaſphema loquutum.  
 Non ait, audistis temeraria uerba prophani  
 Iſtius? ecce Dei ſibi nomen perpetis audax  
 Arrogat, & Meſſias nobis ueniſſe ſuperbit.  
 Clarior an teſtis petitur? ſe proddit ipſum.  
 Vos quid amici omnes cauſa ſentitis in iſta?  
 Extemplo unanimes clamant, moriatur oportet,  
 Nam perit ex legis placito blaſphema loquutus.

O odium crudele nimis, quod hypocriſis ornat:  
 Siccine damnatis iuſtum? fucq; ſtrophæque  
 Nequitiam tegitis ueſtram, quaſi cuncta tuentis



Olim iudicium uos euadatis omisi?  
 O cæci fontesq; nimis, quos urit, & inflat  
 Ambitiosus honos, & pectoris æstus auari,  
 Exoculat liuor, turpis Venus inquinat, ira  
 Irrequieta quatit, gula crasso lentat omaso  
 Marcida segnities diuinis cultibus aufert.  
 Vndiq; uos mala mens, praua actio prodit iniquos,  
 Et pensatis adhuc uestro latitare sub astu?  
 Sic capit absconso sapit insipientior anser  
 Vndiq; detectus, credit tamen ipse latere.  
 Ast modo mensuram patrum replete malorum.  
 Ergo sæuitiam subtili Marte priorem  
 Continuant, adduntq; noua incrementa dolorum  
 Artifices sceleris, studium omnibus ingeniosum est  
 Vt genus omne ferat pœnarum mitis Iesus.  
 Verbera ludibrijs miscentur, scommata flagris,  
 Ora alij tundunt alapis, per eburnea colla  
 Hic colaphis ludit, stellantes uellat ocellos  
 Alter putilibus uitis, humiliq; scabello  
 Ille superpositum digitis in rostra reductis  
 Pertundit dominum, & mordax subsannat ouando  
 Vaticinare, inquit, quis te percussit? haruspex  
 Verus eris, nomen si possis edere nostrum.  
 Nec satiatus adhuc, mentum exglabrat, atq; capillos  
 Vellicat



Vellicat auricomos, faciemq; screatibus udis  
 Quilibet obscœnus, flauo quoq; pure saliuat.  
 Sicq; panomphæi lusa est sapientia patris,  
 Ludus eratq; malis plagas inferre tumentes  
 Seruatori hominum. scœna præluditur ista  
 Exitio, quod restat adhuc crucis arte ferendum.

Iam roseos ignes terris spargebat heous,  
 Ecce iterum pariter coeunt scribæq; senesq;  
 Principibus populi iunctis, residentq; daturi  
 Consilium, quali possint obrepere textu  
 Ut ducis Ausonij soluant, fallantq; tribunal.  
 Nempe sub imperio degens Iudæa Latino :  
 Non erat ausa reos crucibus configere seuis.

O cœcas mentes odijs concordibus, ergo  
 Iustitiæ autorem dira ad tormenta rogatis?  
 Nec licet, ut fertis, uobis occidere quenquàm.  
 Non furor hic ideò fracta ditione tepebit?  
 Sed capitale odium, quo uos odistis Iesum  
 Ne resipiscatis prohibet, tollitq; timorem  
 Regibus æthereis, ut uestre prorsus hebescat  
 Mentis apex, siquidem mansuctum pro truce, uestro  
 Iudicio ad mortem petitis. Sed cur moror istas  
 Fundere tam longo frustra sermone querelas?  
 Quod semel obstipa concepit mente malignus

Donec

Donec agat, quod auet, poterit requiescere nunquam.  
 Vos igitur mala uota agiles implete, nephandum  
 Cogite consilium, & Caipha mentire sereni  
 Cordis opus, iam nocte strophas, artemque pelagum  
 Exerce ad libitum, donec uiolentia iusto  
 Protulerit funus studijs mendacibus actum.  
 Quo uaser officium tandem succubis abusu,  
 Quom commenta probent falsos incongrua testes?  
 Hi tanquam rabulam de se quoque uana loquentem  
 Iurabunt Christum sæpe audiuisse, quod ædis  
 Amplificæ posset triduo reparare ruinas,  
 Siue etiam fundo rueret lapis omnis ab imo.  
 Sed male sarta nequit sutella obtrudere palpum,  
 His quibus est cordi, uerum præponere falso.  
 Cerne miser Caipha, quales ad crimina fingis.  
 Nonne subornatis studuisti testibus agnum  
 Opprimere insontem? sed nil sic proficis, imò  
 Fraudibus ille tuis illustrior emicat, ô blax  
 Et uesane nimis? quid agis furibunde? quid excors  
 Sic animi ructas rabiem? liuore maligno,  
 Quo uir inique furis, domini non occidet unquam  
 Gloria, quæ terras cælosque perenniter ornat.  
 Tenarijs igitur facibus succensus & igni  
 It totus præceps Caiphas, ut perdat IESVM.

lam rabie

Iam rabie uerbis crepat iracundus anhelis.  
 Et quia mentitos testes res ipsa probabat,  
 Ut prius aggreditur dominum: coramq; rogauit.  
 Sit ne ille antiquis promissus uatibus olim.  
 Cui uenie auctor ait: non credes uera loquenti,  
 Et minus absolues mentito crimine pressum.  
 Vos tamen haud lateat, posthac me iura daturum  
 Coelicolis, terras rectorumq; ordine miro.  
 Nam uehar ad patris dextram, summoque tonanti  
 Perdius assessor, seclorum in fine reuertar  
 Huc hominum residens uaria super iride iudex,  
 Vix ea finierat, rabido omnes ore tonarunt:  
 Hic reus est lethi, frustra quid perdimus horas  
 Causando? uictum proprio sermone tenemus.  
 Nec mora, lictores illum post terga reuinctum  
 Flamini imperio Latia ad praetoria ducunt.

## LIBER SECVNDVS.



Pontius Oenotrijs fuerat Pilatus  
 ab oris

Caesaris imperio palnosam mis-  
 sus Idumen.

Huc ubi peruenit, Iudaea elegit  
 in urbe

Hospitium, ut citius cunctis augusta darentur

Iura uiris. igitur uenit prætoris ad aulam  
 Triste satellitum, cœli pia pignora trudens,  
 Carne sub humana & nostris latitantia membris.  
 Non tamen introeunt Solymi gentilia festo  
 Tecta die, neq; enim fas est optabile libum,  
 Atq; epulas paschæ rebus miscere prophanis.  
 O Solymos fucos, scelerum recutite cloacas  
 Totus oles. & uis patriæ pietatis amator  
 Credier? infontis mortem licet ipse peroptes?  
 Ergo forum subiens infermentata uetaris  
 Mandere liba, licet iustum cum sanguine perdas?  
 Reuera minuis culicem, glutisque camelum.  
 Ast tibi tantisper prauis insistere cœptis  
 Ceditur, ad uitæ donec reuoceres aginam.

Ergo ubi per plateas uolat illætabile murmur  
 Pontifices Italo Christum misisse tyranno,  
 Infelix Iudas recolit sua crimina secum,  
 Haudquæ animi compos, miseræ uertigine mentis  
 Aestuat, & stimulis urgetur atrocibus intus.  
 Sequæ caput, causamquæ mali sibi conscius autor  
 Exclamat, mœrensquæ odio infectatur acerbo  
 Patratum facinus, cupida quoq; mentis amorem.  
 Dumquæ ita caligat Iudas, & nescius æqui est,  
 Effertus arripit loculos, preciumquæ nephandum,



Seq; infert raptim templo, templiq; ministros  
 Talibus aggreditur: quid miser ego ipse peregi,  
 Cum proprium uobis pacta mercede magistrum  
 Prodebam? ò facinus, nullaquē piabile cura  
 Grande nefas, iusti uitam cum sanguine perdo.  
 Hæc fatus stupis infæustæ marsupia iecit.  
 Ast illi: nostras insanis questibus aures  
 Obtundis, nec enim nobis tua crimina cura.  
 Si mala gessisti, lue quæ peccasse fateris.  
 Talibus illusus Iudas, non sustinet æstum  
 Irrequieti animi, sese uitamquē perosus  
 Spem ueniæ, Christumquē sibi sperare secundum  
 Decredit miser, & furiali percitus cæstro,  
 Sanguineosquē rotans oculos, ac morte propinqua  
 Luridus, horrificam hanc uocem sine mente tonabat:  
 O uos tartarei manes, ò monstra profundi,  
 Diripite hanc auimam, meq; hoc extrudite cælo.  
 Stertitis ò stygiæ Eumenides? mihi nescite nodum  
 Informis lethi, nec plura his, aduolat expes  
 Ad laqueum, & subito ligni trabe pendulus alta  
 Impuram barathro dissectis ilibus umbram  
 Reddidit, heu pœnas phlegetontis in amne daturam.  
 Solliciti interea quid agant de scœnore mortis  
 Sacricolæ procures (nec enim donaria templi



Fas finit ere illo precium quod sanguinis esset  
 Ditari) statuunt uotis communibus agrum  
 Hoc emere argento, peregrina ut corpora possint  
 Condere, nomenclant factiq; agnomine campum.

Pontius interea dum sentit adesse tumultum,  
 Proslit tecto, coramq; aspexit Iesum,  
 Quem sibi Iudæi sistunt, & protinus illis

Hæc ait: hunc contra quales impingere noxas

Tenditis? Ast illi magnis clamoribus hiscunt:

Leuane de nobis tam serpit opinio præses,

Vt bona promeritum te condemnare uelimus?

Hunc malefactorem solerti examine certum

Crede, paraq; citò pœnas inferre nocenti.

Ad quos Pilatus: patrijs uos legibus illum

Corripite, & sicut scitis damnate, libenter

Cedam iure meo. sic fatur, ut esset iniqua

Liber ab inuidia Solymorum, nempe sciebat

Hos odisse uirum, liuenti & pectore causam

Obiectam esse illi, quem rumor ubiq; beabat.

Ast illi strepitu ingenti uacua omnia complent;

Manfuescuntq; nihil responso præsidis, ipsum

Sed sibi uini inferre accusant, quòd iusta refutet

Iudicia exequier, nonne (aiunt) Cæsar ademit

Ius necis, ut quenquam nequeamus tollere uita?

Si commissâ iuuat didicisse piacula fontis  
 Istius, auscultes, & quàm sit læsa uidebis  
 Maieſtas Romana, nouæ molimine fraudis.  
 In primis gentem ad discordia iurgia noſtram  
 Sollicitat, fallit uarioq; ænigmatè uulguſ,  
 Et uetat Auſonio uectigal pendere fiſco,  
 Seq; audet Chriſtum populis promittere regem.

Has ubi ferre notas audit Pilatus Ieſum :

Ocyor ingreditur ruruſus prætoria, quærit  
 An reus obiecti ſit criminis, ante ea quamuis  
 Pontius ipſe ſtrophas gentis nouiſſet apellæ,  
 Ob uetitos cenſus, populi quoq; ſeditionem :  
 Attamen inuaſum titulum regaliſ honoris  
 Cogitat ambiguuſ, quærit ducis audeat utrum  
 Vſurpare decuſ, cui talia reddidit heros :  
 Obijcis hæc abs te præſes, uel ſi tibi quiſquàm  
 Suggestit: ut quæras an nomina regia uener ?  
 Tum Pilatuſ ait: Solymorum nunquid alumnus  
 Eſſe feror? genus ecce tuum, tua natio, nec non  
 Pontifices, nobis te propoſuere necandum.  
 Dic agè, prode ſceluſ, quo tantum ciuibuſ amens  
 Diſplicuiſſe poteſ? quos non ſatiare ualebo,  
 Te niſi mulctandum dederim tortoribuſ atris.  
 Si regnum ambieris, læſiſti Cæſariſ aulam.

Cui responsa statum reddit lenissimus heros  
 Sceptra ducum & pompas testata uoce refelli  
 Semper ubiq; docens, quales hic mundus adorat.  
 Rex tamen ipse ego sum firma ditione perennis,  
 Nec uelut orbis inuit, regnandi sortior artem.  
 Si foret à mundo mea uis, mea castra cauerent,  
 Ne quando Solyma reus improbitate tenerer.  
 Persuade ergo tibi, nobis aliunde coronam  
 Esse datam, nec eam mortalia lumina cernunt.  
 Attonitus iudex responsis protinus infert:  
 Regem ideò clara te uoce faterier audes?  
 Cui dominus: uerum est, ullo neq; falleris astu.  
 Ingenua siquidem natus rex stirpe manebo,  
 Regis ubiq; tenens ius, & per nobile stemma.  
 Hactenus occultum imperium diuturna peregit  
 Tempora, sed dudum genitor me misit in orbem,  
 Ut miseros homines ignota ad regna citemus,  
 In quibus omne bonum syncer aq; uita perennat:  
 Quam pater omni homini (qui nobis hæserit) optat  
 Largiri, tanta mundum ratione magister  
 Ut uerum doceam, ueni. nam quisquis amator  
 Est ueri, nostros sermones impiger haurit.  
 Nam rex sum ueri, quod homo peruersus ab isto  
 Orbe miser pepulit, uix ut scintilla supersit.

Vitales radios longe lateq; daturus,  
 Ex patris imperio præsens, uelut aspicias, adsum.

Talia narrantem præsens miratur Iesum,  
 Nec putat esse uiro fucum, nec suppara lingue.  
 Sed quid alethiæ præclara uocabula signent,  
 Dum rogitat dominum, nihil hinc responsa moratus  
 Profiliji tecto, populum indignanter amarum  
 Obiurgaturus, quid (ait) pessundare iustum  
 Nitimini? nullum crimen poteritis in isto  
 Explorare reo, uestris quapropter inultum  
 Expediam uinclis, & libertate iuuabo.

Tum furor Hebræus nulla ratione quiescit.  
 Subdit adhuc: iste est populum qui commouet omnem  
 A Galilæorum terris hucusq; profectus,  
 Nec cessat dubias in uulgum spargere uoces.  
 Syllatura grauis tali tibi prominet astu,  
 Ni properè studeas orienti occurrere morbo.

Pontius ut didicit terra Galilæide natum  
 Esse uirum, gauisus ait: ditione solutus  
 Hic reus est nostra Solymi: nec mittere sulcem  
 In messem alterius phas est, reus iste tetrarcha  
 Pendet ab Herode, hic porrò colit inclytus urbem  
 Herodes, ritus uobiscum obiturus auitos,  
 Quos Aegyptiaco semper tenuistis ab auro.

Ergo



Ergo ne impediatur me uobis iura ferentem,  
 Neue reum iusta proprium ratione requirat,  
 Eius ad aspectus hominem perducite uinctum.

Nec mora, uilibus nodis fortiq; catena  
 Tyrones dominum stringunt, uexantq; citati,  
 Donec ad Herodem ueniunt, qui cernere pridem

Gestierat Christum, tractus rumore patrantis  
 Mira uiri, credebat enim rex stultus Iesum

Esse illis similem, passim queis scænicæ pubes  
 Applaudit, magicis faciunt qui monstra susurris.

Herodes igitur fluxæ nouitatis amator  
 Famine diuerso præsentem interrogat, illi

Munera promittens, & libertatis honorem,  
 Si uelit astanti species ostendere rerum

Arte sua miras. Sed quando iustus iniquo  
 Congruet? aut sapiens stultorum uota sequetur?

Rex Sapiens igitur ueneranda silentia regi  
 Stultiloquo opponit. nec cessant praua tacentem

Ingenia accusare pium, nam scriba malignus,  
 Flaminiq; popæ, regi fecisse perosum

Sotorem pergunt, onerant quem crimine multo.  
 Sed nihil ut uidit contra sibi dicta loquentem

Herodes Christum, quasi morio futilis esset,  
 Vestè alba indutum risit, risere phalanges



Aulicolæ, regem regisq; exempla sequitæ.  
 Hinc deus illus rapitur mandante tyranno  
 Ad fora Pilati, mox olim nata simultas  
 Inter eos sedata fuit, sotere sequestro.

Lassatusq; uæ tandem discrimine longæ  
 Christus, in aëris iterum proconsulis ædes  
 Raptatur, sequiturq; strepens longo agmine uulgus  
 Præfulis usq; domum, qui postquam sensit euntes  
 Perstrepere, infremuit, mirans in gente furorem  
 Continuum, uarijs nequeat qui cedere formis.  
 At ait: ô Solymi, quare uos questio tantum  
 Istius exagitat? quid adhuc persistitis omnes  
 Querere rem seuam, cuius fors leua redundat  
 In uestras animas? & in ingens dedecus itis  
 Et famæ, & patriæ? sed & impetus iste malignis  
 Vos animis scuire probat, cum dira rogatis  
 Contra phas legesq;, uiro tormenta parari.  
 Nunquid item Herodes, ad quem duxistis Iesum,  
 Vidit in hac causa tristi nece digna probari?  
 Certe ego rexq; nihil letho deprehendere dignum  
 Quiuimus, unde igitur mactandi tanta libido  
 Immeritum ciuemq; tuum te uerpe perurget?  
 Quid miserum infelix odis cane peius & angue?  
 Heu bene promeriti uitam perfundere certas.

Si tantum te poena iuuat, Iudæe, flagellis  
 Castigabo reum, tandem contentus abito  
 Proinde tuis patribus pharia ex fornace redemptis  
 Hastenus asiduus mos est seruatus honore :  
 Ut quoties epulum celebras paschale, petitus  
 Soluatur gyaris latro noxæq; reorum  
 Exemptus, pulchra cum libertate recedat,  
 Atq; nigris alius coruis damnatur in escam,  
 Ut datus exitio designet pignora gentis  
 Prima Canopææ mactata silentibus horis,  
 Dum sacer Aegypti diro mucrone satelles  
 Scrutatur foetus uulue primoris alumnos,  
 Et finit Israëlém uultu migrare sereno :  
 Proinde gerit liber monumenta salutis auitæ.  
 Hos ritus, Iudæe, tibi seruabo suetos,  
 Et super his nullam per me patiere repulsam.  
 Me penes est nodis merito constrictus ahenis  
 Infestus latro, communi uoce Barabbas :  
 Hic cruce perdat, uita donetur I E S V S,  
 Qui graue nil meruit. mecum sentitis Abraham  
 O pueri? credo quòd non impune sinetis  
 Occisorem hominum grassari. nunquid I E S V  
 Innocuo prauum suffragia uestra Barabbam  
 Præponant( ergo quem me concedere uestris

Ritibus expediat, ius, phas, & pectus honestum  
 Consulite: est uobis ex his concessa duobus  
 Optio. præligitis uiuat, ni fallor, I E S V S,  
 Nomine qui uano CHRISTI uos territat, illum  
 Ast necibus ueris urbes qui turbat & agros  
 Prorsus ut infami plectamus morte, necesse est.

Hac ratione nihil mansuescere discit apella,  
 Sed petit horrifono petulantius ore cruorem  
 Infantis domini, tolle, inquit, protinus istum,  
 Et quem uis perdi, uiuat, uigeatq; Barabbas.

Obstupuit Pilatus ad hæc, quia uelle benignis  
 Exitium uitamq; malis, præpostera res est.  
 Attamen audet adhuc populum sperare secundum  
 Viribus eloquij, lenisq; affamine lingue.  
 Heu (ait) o Solymi uel nunc mitescite quaeso.  
 Vos genus esse pij semper iactastis Abrahæ,  
 Qui coeli terræq; deum per cuncta potentem  
 Semper amore pio, studijsq; placentibus olim est  
 Dum fuit in terris imitatus, adusq; supremum  
 Redderet afflatum, qui nunc (ut fertis) abundat  
 Pro mercede pij cultus, uitæq; nitentis  
 Spe, requieq; simul, placida nam pace receptus  
 Viuit apud dominum, sperans fore tempora, quando  
 Seq; suosq; noua diuinaq; arte nepotes

Lætiior aspiciat rediuiuo in corpore sanos.  
 Hoc lex uestra canit, uestra hoc sententia firmat,  
 An iuuat à tanta fidei uanescere rebus  
 Pollicitis? pulchrosq; dies uenientis & æui  
 (Cuius erit nullus finis) contemnere uultis?  
 Negligitisq; sequi uestigia patris Abrahæ?  
 Si deus Abrahæ, deus est, quem dicitis unum  
 Verumq; esse deum, cui sanctus propter Abraham  
 Iusticiam placuit, sequitur non posse nepotes  
 Illius, ante deum gratos fore, moribus aptent  
 Se nisi præclaris, ergo quicumq; patris  
 Ex uobis scelera, incassum speratis Abrahæ  
 Patiticipes fieri, sed erit pro crimine pœna,  
 Pulchra uelut factis uirtutum gloria cedit.  
 Nam deus amplexu dulci fouet æqua gerentes,  
 E contra reprobos inferni ignibus urit.  
 O Iudæi ergo patriarcham agnoscite uestrum  
 Moribus egregijs, ut uos sua uita sequatur:  
 Non homicida fuit, uos ergo occidere quenquam  
 Horrete, hunc hominem iustum si perditis, olim  
 Vos manet ætheri uindex censura tonantis.  
 Hæc ubi fatus, hiant ululantq; ut turba luporum  
 Magnates uulgusq; simul, crucifige, boarunt,  
 O præses crucifige, citò crucifige, nec unquam



Impostorem istum lingue defende rotatu.  
 Pontius obstipas mentes, odiumque scrinum  
 Horruit, insanos nec scit qua mitiget arte.  
 Attamen excusat rursus, quem Stentoris instar  
 Clauantes configi optant, causamque tuetur  
 Infantis, monstrans illi nihil esse reatus,  
 Nil mendæ, nihil esse mali, quod morte piari  
 Debeat, & scelus est ut non conuictus obortæ  
 Litis, & est nondum confessus crimina, palo  
 Crudeli figatur: ob hoc Pilatus amaris  
 Indignisque ferens animis, mala uota petentum  
 Mortem hominis iusti, Solymos atrocius audet  
 Alloquier solito, trux ô iudæa quid (infit)  
 Te tantum irritat contra præsentis homulli  
 Verba & facta, petas ut eum crucis arbore tollam ?  
 Quod facinus commisit homo simplex humilisque ?  
 Et tuus est ciuis, tibi carne propinquus & osse.  
 Cur, rogo, conciuem perimi deposcis ut hostem ?  
 Armeniæ tygres Afris leo natus arenis  
 Mitescunt quandoq; manes sed barbara semper  
 Duraque ueh modico detrectas parcere ciui.  
 Hunc tua, ni fallor, solum impostura fatigat.  
 Iudicer at uestros ne non contemnere quæstus :  
 Cæsticulis plagas huius per terga reculco.

Vos post hæc homini placatos esse decebit.

Nec mora, præcipitur uenia uitæque litator

Optimus, interulas tunicas longamque poderim

Excudere à scapulis, nudantur eburnea membra

Ocyus, & loris saxum ad pilare retortis,

Brachia nuda ligant tortores mastige sæui.

Iam bathulla manu rapitur tortrice, rubusque

Sibilat, & silerum tinnit stridoribus aër

Protinus incicures scuticis, & uimine multo

Discerpunt dominum, nigret ueh lactea pellis

Ictibus, in rugas leuor quoque pristinus albi

Corporis it, plagisque tumet, rimisque fatiscit.

Tubere uirgoso turpis, taboque cruentus

Sic fuit, ut similis pulcherrimus ille uirorum

Leproso fieret, scabiðisque strigosior Iris.

Postquam fessa manus tortorum à cæde quieuit,

Atria concedunt omnes, Christumque flagellis

Exesum, & multo pariter uibice rigentem

Subsannant, Solymi regis sub imagine ficta,

Querunturque statim simulato insignia regi.

Pro trabea, petitur ehlamys olim murice tincta,

Quam tineæ blattaque usu rosere uetusto.

Hac tectum in fulcro statuunt illicque locati

Ponitur in dextra, sceptri uice, grandis arundo.

Cui dyadema datur crispata cuspide rhamnus  
 Hirta stylis, quibus etheream turba impia frontem  
 Ambiat, attexta circumquacunq; corona  
 Iamq; terebratur rigido caput histrice diuum,  
 Eliciturq; ruber pungenti fluxus achanto.  
 Utq; dolor crescat, tortor nimia arte seuerus,  
 Spinea ferta super uectes cancellat acernos.  
 Dant alij strepitum ludi feralis, & edunt  
 Scommata mimorum lasciui more theatri,  
 Ille pium lingue iaculis holophanta sagittat,  
 Hic quoq; mordaces eructat scurra cachinnos.  
 Irones alij falso precis ore salutant.  
 Effictum regem terre quoq; poplite fixo  
 Ridiculi falsiq; aiunt, rex maxime gentis  
 Iudae tibi famur aue: mox unus in illis  
 Fictus adorator ludens ledensq; salutem  
 Falciter ante datam, domini quem dextra gerebat,  
 Arripiens thyrsum, caput imperiale retundit,  
 Alter arat faciem digitis, crinesq; decoros  
 Vellicat ille furens, alij mucosa relidunt  
 Excrementa putris nasi, cum phlegmate spurco  
 Sideream in faciem noua per ludibria currunt  
 Arguti, certantiq; omnes illudere capto.



AE C ubi patrantur, proprijs  
ex adibus exit  
Ad populum iudex, quo pacto  
soluat I E S V M  
Anxius, huc illucq; regyrat hy-  
rundinis instar,

Si queat à prauis Solymos diuertere cœptis.  
Vtq; labor celere valeat sortirier actum,  
Ecce foras prodit, uirgato corpore languens  
Cœlorum terræq; sator, nam flectere motos  
Præses opinatur, lacerum si proferat hostem.  
Sæpe quidem extorquet ueniam præsentia facti.  
Ducitur ergo foras, Tyrio circumdatus ostro  
Christus, habens septos infesta cuspide cirros.  
Quem subito populis monstrat Pilatus & infit:  
O Solymi, uestræ plusquam satis usq; querelæ  
Paruimus, præter meritum quem cernitis audax  
Corripui, misero uel nunc concedite uitam.  
Ecce nihil uobis loquitur, nihil ecce minatur,  
Sed tacet, & patiens illatas pertulit iras.  
Num uultis miserum lacerumq; subire peractis  
Plura malis? humili fractoq; quid amplius illi  
Poscitis?



Poscitis? an Lybicos uincet uestra ira leones,  
 Qui sibi prostratis parcunt, ceduntque rogati?  
 An pietate uiros dignum est ut bellua uincat?  
 Eya agite o ciues ciuis miserescite uestri,  
 Quem coram lacerum crudeli caede uidetis.  
 Credite, tortoris studium non defuit ullum  
 Istius in poenas, tantum cui fata supersunt  
 Vltima, nec potuit maior uindicta parari  
 Is licet immanes aequasset crimine Cacos.

Talia causantem furijs stygialibus ardens  
 Implacabiliter reicit Iudæus apella,  
 Extremumque pio funus truculentius optat.  
 Cur, inquit, Pilate aures obtundere nostras  
 Prosequeris? fixa est iustæ sententia mortis  
 Hoc super infesto, quem desine, quæso, tueri.  
 Cur etiam toties operas oleum quoque perdis?  
 Da cito iudicium, pereat cruce tensus in alta.  
 Cui Pilatus ait: si te Iudæe recenses  
 Hoc læsum esse uiro, tua legiscita sequutus  
 Corripe, nec noxas huius patiaris inultas.  
 Hunc nil supplicij dignum fecisse uidemus,  
 Et nisi quid grauius captiuo opponere pergis,  
 Iudice me liber pacatis rebus abibit.

Talia dum fatur Prætor, Iudæia litem

Turba grauat Christo, causas atq; obijcit acres.  
 Cur, ait, ò iudex blasphemum soluere gliscis :  
 Lex Mosæ a ferit tales, mulctatq; seuera  
 Pernicie lethi, sed iam commissa nocentis  
 Accipe: diuina se iactat origine natum.  
 Sed Deus ipse unus simplex solusq; iubetur  
 Lege coli nostra, plures idcirco uetamur  
 Nosse deos, igitur diuum qui prædit honorem,  
 Illum debemus uiuorum eradere cœtu.

Hæc ubi dicta, gemit præses sub pondere cause,  
 Atq; inter sacrum & saxum, perplexus agendo  
 Terretur, siquidem lex naturalis abhorret  
 Infontes damnare uiros, & tollere uita.  
 Allegata tamen Solymorum iura laceffunt  
 Constantes animos, accedit ad anxia mentis  
 Consilia, ut natum cœlo cruce perdat atroci,  
 Nanq; superstitione celebrat pagana deorum  
 Connubia & natos, natorumque esse nepotes :  
 Quos si quis temeret, furuis cito mergitur antris :  
 Ceu conficta refert Ascrei charta poëtæ.  
 Quapropter repetit præses loca iuris agundi,  
 Ut roget ipse uirum, si sit diuinitus ortus  
 Scitaturque genus, patriam, nomenque parentum :  
 Nulla sed his heros quesitis uerba reponit

Cui præfectus ait: quare obmutescis IESU?  
 An nescis me posse tibi uel demere uitam?  
 Cui Christus, non esset, ait, tibi tanta potestas,  
 Hanc nisi de cœlo traheres, tamen ille necandum  
 Qui tibi me tradit, te longe immanius errat.

Hæc responsa diu præses miratur, & omne  
 Applicat ingenium quo possit adesse ligato,  
 Ille sed heu quanto studiosius æqua requirit,  
 Scuius Hebræi poscunt, ut Christus in alto  
 Veste dierectus, mortem patiatur acerbam.  
 Quodq; ut agat citius iudex, neue amplius illos  
 Dissimulans suspendat, eum formidine terrent  
 Horricrepa, & tragicis bacchantes æra bombis  
 Confundunt, clamantq; simul, Pilate, solutum  
 Hunc si dimittis, nunquam inter Cæsar amicos.  
 Te referet fidos, nam qui sibi uendicat usquam  
 Regni insigne decus, uel regis nomine turget,  
 Hic capitolinæ minuit ditionis habenas,  
 Vnde reus læse fit maiestatis, & alnum  
 Imperij culmen (totus cui subiacet orbis)  
 Offendit, dignus quem crux uel harena trucidet.  
 Siste ergo, tam grande nephas in dedecus aula  
 Ne obrepat Latine, sapiunt Phryges optima sero,  
 Quapropter dum tempus adest obsistere precamur

Tristibus

Tristibus auspicijs, alioqui Cæsaris hostem  
Te facimus, perdesq; datos à Cæsare fâsces.

Hæc postquam audiuit Pilatus probra minari  
Deserti imperij, gelida formidine tactus  
Iustitiæ examen trutinare exactius horret.

Esse tamen poterit seruandi occasio Christum:  
Si foris ante omnes iustus mansisse probetur.

Muriceis igitur sagulis insigne tribunal  
Pontius ascendit, dicturus iura patenti

Concessu, paria stellans ubi tessera crusta  
Sorte pauimentum mira picturat honestum,  
Quod Iudæa uocat natiuo Gabatha uerbo.

Iamq; parascueu promouerat hora diei  
Tertia, solq; micans ad sextos gnomonas ibat,

Quando thronum scandens præses conciuuit in unum  
Accitos Solymos, ecce, inquit, adesse uidetis

Hic uestrum regem, uarius cui tergora sulcus  
Imbricat, integritasq; deest per corporis æquor,

Vt fermè à capite in calcem plaga unica serpat.  
Dirius ô ciues tormentum quæritis illi?

Nónne modo liber uobis miserantibus ibit?  
Si cruce damnetis iustum, spicosq; uerutos

Per plantas paret atq; manus transfigere licet,  
Quæ, rogo uos, tali pro factio lucra sequentur?



Vos ignominij æternis fama probrosos  
 Impia nimirũ terras traducet ad omnes.  
 Credite, nil aliud uobis mors conferet huius  
 Quàm quod uos proprium regem dicetur ubiq;  
 Affixisse cruci, sapite ergo sanius omnes,  
 Et miserum saltem uita donate potiri.

Vix ea finierat, clamosior ecce phrenesis  
 Ore sacerdotum tonat, horrendumq; remugit:  
 Serius an uè iocans homini Pilate scelesto  
 Ferre patrociniũ pergis, regemq; uocare?  
 An dare uerba putas nobis te posse uelimus  
 Vocis ut arte tuæ flecti per mobile uotum?  
 Non ita desipimus, quod iniquo demus honorem.  
 Hunc crucifige igitur, nam Rex à Cæsare nobis  
 Vllus erit nunquàm, solus Rex Cæsar & unus  
 Viuat, & hunc nocuum toto mors pessima rictu  
 Deuoret, officium non est opus ipse patroni  
 Suscipias, iudex partem qui cernis utranq;.  
 Eya agè, nõnne hic est letho damnandus acerbo,  
 Qui cœlum terranq; graui temerarius ausu  
 Confundit, regem dum se numenq; fatetur?  
 Blasphemos perdit Moses, stultumq; coronæ  
 Vsurpatorem semper for a Romula damnant.  
 Ergo reum duplici tabula iam promptus amaræ

Dede neci, posthac te retractante petemus  
 Cæsaris auxilium, cui poenas criminis huius  
 Exolues, siquidem cunctaris sedulus illi  
 Seruare imperiũ, nec uis punire rebelles.

Talibus obrigit responsis Pontius, iram  
 Dumq; timet Latiam concussa mente uacillans  
 Hæsitat, an deinceps Christum dare debeat hosti.  
 Nec superesse sibi spem prospicit, unde tuendum  
 Suscipiat uinctum, nisi forsitan ipse patronus  
 Contra obiecta uelit propriam defendere causam,  
 Mendacesq; strophas fallentum aperire planorum.  
 Nam pudor aut ratio Iudæia pectora nullis  
 Hactenus elicuit placitis, at sæuius omnes  
 Mentitis commenta dolis in uirgine natum  
 Intorquent, ideo compellat præses Iesum:  
 Ecce quoto peteris damnatæ fulmine culpæ.  
 Pro te ora, & nugæ inimicæ litis opertas  
 Fraude, caue, frustra cur stertis multa silendo?  
 Prorsus ad hæc mansit celato gutture Christus,  
 Mutus ad opprobrium, ueluti iugulatilis agnus  
 Fert sine balatu gladium lanionis acutum.  
 Nec silet ut fatuus uitium, sed mitis ut infans:  
 Ne crucis utilitas hominumq; redemptio cesset:  
 Quandoquidem ara crucis sebruat peccata nocentum.

Miratus stupuit tam firma silentia iudex,  
 Sic reticere putans dubijs in rebus ineptum.  
 Nam qui quisquilijs anima uel sospite carnem  
 Aestimât, & diros reticendo sustinet hostes,  
 Quos poterat uicisse sua facundus opella,  
 Stultus apud mundum mundano interprete fiet.  
 Propterea audet adhuc pro capto dicere prætor,  
 Suggillatores grauiusq; incessit iniquos,  
 Cur ( ait ) obstrepitis iusto mala nulla merenti ?  
 Vultis obire pium ? qui culpæ noscitur exors ?  
 Quàm melius prauo ueniat libitina Barabbæ ?  
 Qui malus est pereat, nanciscaturq; salutem  
 Qui bonus extiterit, sic imperat omnis honestas.

Nuncijs interea Pilati à coniuge præceps  
 Astitit, attonitis oculis, uultuq; trementi.  
 Mi domine, aiebat, dulcis te postulat uxor,  
 Ne tua præsentem feriat sententia iustum.  
 Nam sibi nocte ista miris insomnia uisis  
 Accessere, quibus nimium perterrita languet.  
 Vidit enim in somnis laruarum flebile uulgus,  
 A quo perniciës tibi iam funesta paratur,  
 Si fueris iusto iudex contrarius illi :  
 Te per iura thori uestri, nexuq; fidelem,  
 Effluclim pressimq; rogat, ne tempseris ista,

## LIBER TERTIVS. 117

Quæ tibi præproperus narraui uerba minister.

Hæc inter pauido suspirat pectore iudex,  
 Nutanti similis, qui dū titubare putatur,  
 Moliriq; modos ut rostris cedat iniquis:  
 Mox furor insanus scribarum obsistere certat,  
 Et satagunt miseri turbas aduoluere secum,  
 Opteturq; uiro linguis pellacibus orant  
 Exitiū, populi tunc tunc resonabilis echo  
 Replet inane, petens homini præfigere Thita.  
 Tam Pilate diu clamant illudere gestis?  
 Fac crucis ut seuæ maledicta obliteret arbor  
 Prodigiōsi huius nomen, titulosq; uacantes,  
 Qui se præsumpsit regemq; deumq; uocare,  
 Nec cuncteris, eat liber toto orbe Barabbas.

O genus Abrahæ, quantum mutaris ab illo  
 Abraham, ô soboles uirtutibus orba paternis:  
 O gens facta tuo rectori nidus hyænæ,  
 Sanguine sic gaudes ut iusti funera poscas?  
 Funera iusti huius tibi uitam qui dedit ipsam:  
 Sic ne tuam recutita sitim saturabis hirudo?  
 Num super ingratos angues ingrator es tu?  
 Dum petis illius mortem, qui cuncta creauit,  
 Cunctaq; qui stabili semper temone gubernat  
 Res hominum, cuius pendent nutu atq; renutu,



Qui pluuias solesq; suos dedit omnibus æquus,  
 Qui quos fecit, alit, seruat, passimq; ministrat  
 Commoda cuncta, tibi præsertim deditus ultro,  
 Qui te præcipuum toto delegit ab orbe  
 In populum, largis te semper honoribus ornans,  
 Dic age, quis fuerit populus te clarior usquam?  
 Gloria, lausq; ducum, terræ, uulnæq; feracis  
 Hubertas, aræ cultus, templumq; superbum,  
 Illius auspicijs tibi sunt collata benignis,  
 Quem nunc infami curas luxare tigillo.  
 Ille est qui ueniens humano in schemate tecum  
 Vicatim incesit, patriæ cœlestis amorem  
 Ore tibi instigans ueraci, deinde daturus  
 Credenti, in cœlo faustæ stipendia uitæ.  
 Utq; fidem faceret uerbis, te teste nociuas  
 Morborû species, pro uoto sanat ubiq;  
 Ceu uoluit tetrus laribus possessa iuebat  
 Corpora deserere, & quos orca charybdis  
 Glutierat miseros, faciebat in exta reuerti  
 Pristina, nec quicquam, quod nosceret esse saluti,  
 Neglexit, semper tibi præsens suppetiator.  
 Vidisti atq; exultasti pro munere tanto  
 Collaudans hominem, Regem Christumq; fatendo  
 Esse tuum, series uatum quem nobilis olim

Venturū cecinit, nuper cui tu ipsa dedisti  
 Insigne obsequium, quando ramalia palmis  
 Euulsa, & flores & uestimenta uianti  
 Spargis ouans, pulchramq; canis leto omine laudem.  
 Tam pia sedulitas, & odoris ferta coronis  
 Nunc ubi sunt? maculam posuisti in scdere primo.  
 Tam cito fastidis celebratum, ut stulta recenti  
 Pro spadice, caput diuinum uepre corones?  
 Siccine prima crucem fabricat? pæanos honesti  
 Hæc probra parturiunt? ô intractabile uulgus  
 Et nimis indignum, cui Rex tam melleus adsit.  
 Ingratus populus, duræ ceruicis, & effrons,  
 Commodius regitur uirga, quàm legibus æquis.  
 Scinditur ergo statim Solymorum gratia fallax,  
 Et dominum nuper ueneratum odere superbi.  
 Sic leuis infidos animos fortuna rotauit.  
 Nutat enim uulgus foliorum more cadentum,  
 Cereus in partes flecti, prout aura uocarit.

Vidit ubi in populo prætor bullire tumultum,  
 Horrui, atq; notam neglectæ seditionis  
 Formidans, plenū deferri iussit aqualem:  
 Ac ait, ô Solymi, dum uos compescere nullo  
 Consilio possum, nisi condemnetur Iesus,

Tollere de medio iustos lex calcitrat omnis.  
 Ne tamen in uobis sternax grassetur enyo,  
 Amne prius lotis manibus uos uestraq; testor  
 Corda, quod expertem macularum occiditis. æger  
 Hoc ago uobiscum, superos tamen oro potentes  
 Ut soli detis pœnas pro sanguine fuso.

His dictis Solymi tonitru uacuum omne procellunt  
 Clamantes: nihil hoc facto præfekte pauendum est,  
 Nos, & si quis erit, qui nobis posthumet, omnem  
 Suscipimus pœnam sceleris, totumq; reatum.  
 Aude agé, ne trepida, ueteratoremq; malignum  
 Trade cruci, nos, si qua: manent tormenta luemus.  
 Hæc ubi dixerunt, toto delirus ab æquo  
 Pontius, obsequitur uotis animisq; malorum,  
 Immeritæq; necis decretū flebile profert  
 In Christum, & soluit uinclis pœnaq; Barabbam,  
 Millemis dignum crucibus, totaq; gehenna.

Te timor usque adeo demendat perfide iudex,  
 Ut sine labe uirum pœnis infamibus ausu  
 Sacrilego perimas? æqui præposterus ordo  
 Te Pilate notat, legū perfringis amussim  
 Stirpitis, an lippis oculis hallucinor, audes  
 Dicere? nimirum cecidisti lumine aperto.  
 Vir frugi premitur, liber sicarius exit.

Das, Pilate, lupo ueniam, sed prouidus agnum  
 Transfodis, heu toties Christus tibi claruit insons,  
 Tu tamen incidi loris & restibus illum  
 Iussisti, quanquam fuerat, te iudice, mundus.  
 Sed fortassis ad hoc zelus clamorq; malorum  
 Te impulit, ast flagris cur tandem pessime, iustum  
 Sulcatum misere procedis figere ligno?  
 O Pilate deos homini postponis, & altas  
 Italiae doxas, fascesq; à Cesare partos,  
 Perdere plus trepidas, quam iusti fundere uitam.  
 Et tibi reris adhuc manuum quòd lotio purget  
 Sentinam scelerum, foediq; cylismata cordis?  
 Quàm putiens deus est nunc, olim fontibus ultor  
 Adueniens, cunctis operum stipendia reddet.

## LIBER QVARTVS.



VIS modo Hieremie fontes mœ-  
 rentis aquarum  
 Conferet? et lachrymis oculos per-  
 fundet obortis,  
 Ut mortem domini luctu ploremus

amaro?

Vix mala perculerat mitem sententia Christum  
 Cum rursus trahitur plagas ubi flagraq; dudum

h s

Pertulit,



Pertulit, hinc resilit Tyria chlamys ebria concha,  
 Atq; reuestitur proprijs, suetaq; poderi,  
 Propatulum inde uenit, stipatus milite saeuo.  
 Mox tuba terribili refugam clangore per urbem  
 Increpitans, accit populos ad triste theatrum.  
 Vndiq; crescit onus poenae, cumulusq; pudoris  
 Infonti domino, nam septus uepre minaci  
 Caesariem, foedusq; olidis dia ora saluis,  
 Vt nihil immensis desit cruciatibus, ingens  
 Fert crucis extensa proelum, quo transit onustus  
 Per medios urbis uicos, ubi nuper honorem  
 Egregium nactus cunctis mirandus agebat :  
 Sed uice mutata magus impostorq; putatur,  
 Quem demum tota dederit deus arte necandum.

Talibus opprobrijs seruator percitus ibat,  
 Atq; palam, mediusq; reis incedere binis  
 Cogitur usq; locum Iudæis Golgotha dictum,  
 Dura carinato quem pressat sarcina dorso.  
 Sed ne deficeret gradiens sub fasce trabali,  
 Curauere cruci quidam ut supponeret armos,  
 Forte Simon uilla remeans Dauidis ad urbem  
 Cyrenis ortus sed hebræo germine felix,  
 Dicitur Alexandri & Rufi pater, obuius ibat.  
 Quem subito angariant domini post terga probrosam

Ferre crucem, donec caluarum accedat aceruos.

His heu uerucam scandens Golgothida Christus

Ludibrijs uulgum pascit, scribasq; dolosos

Et quos ordo senum, quosq; ædis cultus honorat.

Omnes hi dominum prorsus feraliter osi,

Plaudentes manibus per mutua signa potitos

Se uotis hilarant, agni quoq; cæde propinqua

Sub siliunt, ueluti leporem canis appula captum

Iam uoret, aut unctâ pascatur Cerberus offa.

Attamen in turbis superabat portio quedam,

Lugubri pietate sequens uestigia Christi,

Quem motum à templi suggestibus esse dolebat:

Illum equidẽ norant ueri certiq; tenacem.

Plangebant ideo gemebunda uoce necandum,

In primis peplata cohors, nam præfica luctum

Fœmina liberius maribus meditatatur adultis.

Ast ubi Iudæe uiduas, matresq; nurusq;

Virgineosq; choros, suspiria sensit Iesus

Fundere cum lachrymis, retro conuersus ad illas,

O, ait, Abrahæ soboles, sexusq; stolati

Mollis amor, noli querulo mea funera luctu

Prosequier, potius nimium te plange dolendam,

Atq; super uentrum foetus lamenta relaxa

Ecce dies ueniunt & ineluctabile fatum

Flebilis

Flebilis ærumnæ totam uastabit Idumen,  
 Bella, fames, pestis, prædonum intrinsecus ardor  
 Hanc populabuntur patriam, uestrosque penates,  
 Atque Stoneæ cinesiant Pergama turris :  
 Huius & in flammis totus labor urbis abibit,  
 Perpetuamque feret populus uenalis halosim.  
 Pugna foris, pauor intus erit, mala monstra ferarum  
 Cursabunt per agros, locus omnis agetur erinny.  
 Tantus erit cumulus pœnarum, tanta malorum  
 Congeries, quantam poterit nec abeneus unquam  
 Sermo loqui, nec enim species formasque dolorum  
 Omnino uincet numerus, quo fiet ut alui  
 Fœtosæ, steriles, uber siccumque beabunt.  
 Et qui tunc fuerint contusi mole malorum,  
 Vociferabuntur scopulis & collibus altis :  
 O montes & saxa citam celerate ruinam  
 Nos super, & nostros luctus finite cadendo.  
 Arida quid mirum si flammis perferat arbor,  
 Et fructu & folijs priuata uirentibus olim,  
 Si uoret ignis edax illam candente fauilla,  
 Quæ uiridi trunco ramisque feracibus humet?  
 Scilicet insontem magnis paruisque benignum  
 Me cruce perdetis, uos ut maneatis inulti?  
 Si mea promereant dignum benefacta fauorem,

Et tamen immensæ poenarum exponimur undæ,  
 Qualia taxabunt uos quæso uerbera tandem  
 Qui reprobi semper prauis uixistis in actis?  
 Talia diu loquitur mœstæ loca uenit arenæ,  
 Ossa ubi truncorum sparsim candere per herbas  
 Spectantur, fessumque deum super ardua collis  
 Culmina saxosi sistit trux miles, & illi  
 Præ sudore sitim patienti porrigit uuæ  
 Felle saporatum myrrha, mixtumque liquorem.  
 Tale genus uini tulerat labrusca Gomorrhæ,  
 Quam Iudæa suis imitata botryonibus audax,  
 Heu nimium tristi potauit uase magistrum.  
 Quis moribundo unquam scelera ob patrata negauit  
 Et non porrexit saltem mera uina lyei?  
 Ah Iudæa ferox seuisque immanior Hunnis,  
 Tu renuis domino quod fuscæ monstra lauernæ  
 Abs te suscipiunt, ô semine nato maligno  
 Stirps Chanaan, spuriumque genus, quid conuenit alma  
 Nunc tibi cum Sarra, quid patre tumescis Abraham?  
 Vere procax ingrata nimis? te gloria patrum  
 Non facit illustrem, uita quam dispare deles.  
 Cui similis fueris studijs & moribus, illum  
 Scito tibi patrem, Belial teterrimus ergo  
 Huic pater est, sanctum qui perdit, & oxide potat.



Non tamen oblatum Christus deglutit acorem,  
 Quem tantum tetigit labris primoribus, ut sic  
 Ora prophetarum præfaga fuisse probaret.

Haud mora, supplicium celebrat funebre satellites  
 Impius, & tractu furioso nudat Iesum,  
 Cui toga uulsa statim ( fuerat que proxima carni )  
 Liuentes renouat sulcos in corpore toto,  
 Virgarumq; situs per liuida terga recurrunt :  
 Vnde dolor creuit domino, cui plena pudoris  
 Frons rubuit, coram populo quod nudus obiret  
 Vixque femur tegetet sibi supparus unus utrunq;  
 Maximus ut saltem brachato cruce sacerdos  
 Ardua conscendat mirandi altaria ligni.  
 Surrigitur subito malus crucis, atq; ceruchos  
 Antennarum ambos perflatilis excipit aer.  
 Tunc scelerum serui manibus tractare cruentis  
 Virgineos audent artus, tum pignora nymphæ  
 Exporrecta locant grandis super æquore ualli.  
 Expenduntq; manus sursum, plantasq; deorsum  
 Impete perualido raptant, nec deinde morantes  
 Hir utrunq; forant gomphis, & centra uolarum.  
 Hic illicq; statim diui micat unda cruoris,  
 Que rigat omne solum subter, passimq; uagatur.  
 Continuo luxa nerui compagine strident,

Tensaq; uertebriſ deſciſcunt membra ſolutis.  
 Fur uelut axiculo, trochleaq; extenditur, ipſum  
 Dum ſua quaſitor cogit mala geſta fateri,  
 Nec ſecus iligna uituli membrana cataſta  
 Tracta riget, quàm quum peccati fomite liber  
 Cornu utroq; crucis paſſis extenditur ulnis,  
 Per coxas etiam uulſus, neruoſq; per omnes

Qui dum confoditur damnati in ſtipite ligni,  
 A patre flens ueniam petijt pro ſontibus illis.  
 Qui ſua carnifici laniabāt uiſcera uoto.  
 O pater, inquit, ames, nobis qui demere uitam  
 Conantur, nec enim ſcelus hoc perpendere norunt.  
 Sim pater oro mei reuera nominis hæres,  
 Saluentur, uolumus, nec me ſine ferre repulſam,  
 Si modo diſcipulis credant narrantibus olim,  
 Quod mundi reparē labes, ſiamq; piator  
 Vnicus omnigenum ſcelorum, portasq; polorum  
 Morte mea pandam, ſi ſic pater omnia de me  
 Crediderint, illis opto ne parcere ceſſes.

O uox cygneis longe mellitior odis.  
 Si moriens auras uocalis cygnus amœnat,  
 Quid minus efficiet paſſi ſymphonia Chriſti?  
 Hic eſt uerus olor, modulus qui temperat orbem,  
 Non quem ſtulta caro, ſed quem ſibi uita ſequundum

Spiritualis amat, quis enim desperet Olympi  
 Se fore municipem, pro quo deus ipse precatur,  
 Fertq; mori, moriensq; patrem super hostibus orat ?  
 Hac prece quid melius dici fieriq; daretur ?  
 Quã simul imbiberit Scythia barbarus asper & exlex  
 Se Christi frenare iugo non differet unquam,  
 Siue etiam indomitis foret insensatior uris.  
 Vox certe modica præstantior ista canoena est.  
 Mitigat ischiacas suavis tibicina guttas,  
 Lymphaticq; ualent fidibus persæpe canoris.  
 An minus orantis Christi uox sancta uigebit ?  
 Nimirum quicumq; illam penetralibus imis  
 Hauserit, audieritq; libens, sit crimine quamuis  
 Saucius, extemplo medicati pectoris haustum  
 Gustabit facilem, uitãq; hilarescet honesta.

O uox cygnæis longe modulosior hymnis  
 Quod genus est lemurum, quod non hac uoce recedat ?  
 Tartaream Saulis memoratur principis Atam  
 Flexanima lenisse Chely pastorius infans.  
 Et poterit quisquam Plutonis de grege tutus  
 Astare orantis Christi meditantibus æstum ?  
 Certe quisquis erit quem non permolliat istud  
 Dulce melos, trucibus rapidi phlegetontis eundem  
 Esse minus facilem furij proferre licebit

Ergo per innumeras Christus dum uertitur insons  
 Poenarum species, ultra tormenta nephanda  
 Arboris, illius sine labe nigerrima uitam  
 Suspicio incestat, nam dux uelut esset iniquis  
 Ad graue flagitium, medius suspenditur inter  
 Ambrones, quorum saeuæ commercia furcæ  
 Pessima debebant uiuorum extundere cœtu,  
 Hoc igitur uerpi dominum infamare studebant  
 Spectato, ut socius legali in cæde nocentum  
 Quatenus aspicitur, compar in crimine fiat.  
 O strophæ cæca nimis, fraus ô male facta quid auges  
 Nequitiam gratis, propria te pagide stringens?  
 Quæquæ nocere putas domino male uerpe triumphos  
 Et pompas celebres æterna in tempora gignunt.  
 Tu tibi more cacas turdi uiscantis oletum:  
 Quo miser implicitus lypares trudaris in ollam,  
 Suspice iam causæ titulum, quem stulte petisti  
 Appendi, reputans te posse impingere Christo  
 Dedecus immensum, raptæquæ tyrannidis ansam:  
 Spes tua præterijt sicut lanugo papyri,  
 Bullaq; nimborum, gelidæ uel stiriæ brumæ.  
 Ecce uides Iudææ crucem uenerariæ aulis,  
 Pro labaro, nota latronum regale perornat  
 Iam caput, unde precor talis mutatio prodit?



Hoc uirtus tua Christe facit, quam cuncta uerentur.

Qua duce Pilatus scribens in caudice leui,

Te regem florum, laudantium, teq; salutis

Afferuit, quoniam regnabis in agmine laudum,

Quas illi dicent, quibus optime Christe salutem,

Flore coronatus qui non marcescere possit,

Per crucis imperium de iuncta morte parasti.

Talis erat titulus cause pendentis I E S V

Quem nec tempus edax, nec item cariota uetustas,

Nec quaecumq; ruat uirtus abolere ualebunt.

Quod deus aeterna desinit mente futurum,

Vis nulla antiquat, studio quocumq; feratur.

Ergo ubi Pilatus pensum cruce uidit I E S V M

In tabula scripsit fusca lolligine causam

Pendentis, linguae quam tres resonare ualebant.

Hanc legit iudaea serox, hanc legit Achiuus,

Hancq; suis oculis ualidi legere Quirites.

Ob titulum illustrem templi cultrarius agra

Rumpitur inuidia, poscitq; procaciter almīs

Laudibus inferri neuos, turpesq; lituras,

Ac titulum inuerti: Sed uanos satrapa questus

Contemnens, inquit, quae scripsi, fixa manento.

Interea spolijs partes per quatuor aequas

Discerptis, inhiat celerum uesana cupido,

## LIBER QVARTVS.

121

Vult tamen in scissam, iactata sorte poderim  
 Reticulato operi similem, quam lymphida mater  
 Virgineis netam digitis, textuq; sequaci,  
 Etsi re futura, nato confecerat olim.  
 Tunc igitur secum lictores talia fantur:  
 Talarem haud dubie tunicam si scindimus, ipsa  
 V sibus humanis modicum ualitura iacebit.  
 Integra de nobis aliquem teget aptius unum?  
 Inter nos igitur libeat committere sortem,  
 Fauere ut cuiusq; uolubilis alea, solus  
 Hic uestis possessor eat certusq; retentor.  
 Consensere omnes pacto, tum protinus orca  
 Ponitur, astragaliq; natant crepitante fritillo.  
 Nec seclus hoc tacuit Psaltes uenerabilis, olim  
 Pneumate qui plenus cecinit præsagia sacro.  
 Nec suffecit adhuc prauis per mortis agones  
 Tam crebros uexasse deum sub carne latentem.  
 Opperiuntur enim timidi stultiq; sedentes  
 Per gyrum crucis, an fixus conetur abire,  
 Ut prompti ualeant meditati obistere cursum.  
 O miseri insaniq; homines, uos scilicet illum  
 Qui captos oculis fecit sola pulchra tueri,  
 Qui barathri duris clausas adamantibus ædes  
 Rupit, ut hinc uita sanctos prodire iuberet,

Vos, inquam, modico poteritis neſtere ligno?  
 Viribus ille mori ueſtris non cogitur, atram  
 Qui laxat frenatq; necem uelut optat, & audet.  
 Qui moritur, nobis moritur pietate ſuprema,  
 Vt ſua perpetuam nobis dent funera uitam.  
 Ipſe uolens moritur, nihil hic tibi præter amarum eſt  
 O Iudæe odium. quicquid tolerauit I E S V S,  
 Hac una ratione tulit, quod debita noſtris  
 Criminibus tormenta ſuo delere uolebat  
 Interitu, uitãq; iterum fruticante reſurgens,  
 Ius adipiſcendi fœlicem contulit æthram  
 Iis, qui paruercint cœleſtia iuſſa ſerenti.  
 Vtq; fidem faceret pactæ mercedis amator  
 Ipſe hominum, nobis niuei ſub imagine libi  
 Sympoſium cœleſte ſuo de uiſcere fecit,  
 Primitias arramq; uocans ueniẽtis olympi.  
 Tam ne facis duros clemens patrone clientes?  
 O miranda poli bonitas, quæ corda uiroꝝ  
 Peſſima, dilutis mundaſti ſanguine culpis.

Ecce argi uigiles equitum peditumq; cateruſq;  
 Dum per circuitum funeſtæ rupis oberrant,  
 Se poſſe inſani præſumunt ſiſtere Chriſtum,  
 Si crucis antennas reſolutis liquerit ulnis.  
 His peior ſeries hominum quæ ſeruit aſylo,

Acrida, uulneribus miscet conuicia diris,  
 In uiridiq; sedens speculator cespite miles  
 Has ridet pœnas, & naso ringit adunco.  
 Præteriensq; globus popularis acerba tacenti  
 Euibrat ora uiro pytismate spumida turpi,  
 Astantumq; fragor diuinus ulcerat aures  
 Blasphemus, siquidem nunc hic, nunc ille fatigat  
 Vocibus his dominum, uah fumi uenditor ædem  
 Destruis, & triduo pessundata delubra lapsa,  
 Te primam ad speciem sarturum euanide iactas.  
 Si potes hoc, potis es demptam tibi ferre salutem.  
 Nonne ille es genitum qui te patre subdole garris  
 Esse deo? missumq; refers à cardine cœli?  
 Ut nugis mendose tuis sim credulus, ulnas  
 Deme cruci, pelibus calibemq; refige uerutum.  
 Et celer in medios saluus descende maniplos,  
 Talibus ostentis Christus per amabilis esto,  
 Nosq; habeas famulos iugi ditione fideles.  
 Dum iacula illa furens labiorum amentat habenis  
 In Christum, tanto sceleri coniurat, & auget  
 Opprobrium uirosa, procax, uersuta, feroxq;  
 Aspidibus peior, liuens sanieq; ne parum  
 Lingua pharisææ sectæ, scribæq; dolosi,  
 Sadducæorum pariter mala factio, nec non



Phanicolæ proceres, mordax quibus os animusq;  
 Ferreus est, nulla cura lenibilis unquam.  
 Nempe lupina agnum lacerare calumnia mitem  
 Non cessat, spumant passim rabida ora malignis  
 Lædorijs & lingua uibrans liuentia uerba,  
 Vah, ait, insauista cur debilis in cruce pendes?  
 Lumine qui cassos solitus mancosq; lacertis  
 Et reliquas morbi species reuocare saluti,  
 Hanc tibi, quam multis donas, partire medelam:  
 Hac te ope patrata Christum uenerabimur omnes.  
 Si secus ipse facis nebulo sis friuolus ipsum  
 Hoc sentit repetitq; dicax, & mobile uulgus,  
 Dum sale mordaci mala per dieteria ludit.

Iam furor hostilis pœnas compefcere saltem  
 Debuerat, sed adhuc gabalis utrinq; latrones  
 Confixi, insultant Christo tam indigna ferenti.  
 Pendulus à læua præsertim lancinat ore  
 Blasphemo dominum, lurconibus & parasitis  
 Scurrilior, moriens etiam ridere benignum  
 Gescit, & in torto petulante est tanta phrenesis,  
 Ut crucis in pœnis etiam garrire liberet.  
 Vah (ait) ille potens Christus si credier optas  
 Nos tecum serua, damnatoq; exime ligno.  
 At alter uisis mentem conuersus ad æquam

Prodigijs, cœpit socium obiurgare procacem.  
 Infruite latro quid agis? sic numina rides?  
 Contemnisq; deos posita formidine stricti  
 Iudicij: miser an nescis merito te pendere poenas,  
 Et libet insultare pio nil labis habenti?  
 O uesane latro strictos qui mille per enses  
 Debueras animam iam dependisse scelestam,  
 Qui merito mecum crucis in sublimia ferris:  
 Quam satius scelerum si nos metanœa subintret,  
 Vt simul incurua mentis ceruice litemus  
 Huic nostras animas, nobis qui promptus in ara  
 Se crucis impendit, mendas luiturus abunde  
 Terrigenam, prima quotquot nascuntur ab Eua  
 Quem miser irrides? illum cui militat æther,  
 Qui fabricam mundi sublato sole tenebris  
 Nunc tegit, ut cernis, qui te infaustissime merget  
 In phlegetonte cauo, nisi pectoris intima fœdi  
 Confessus doleas, uel saltem sera retractes.  
 Hæc ait, & Christum mediano in stipite fixum  
 Intuitus, supplex udis compellat ocellis,  
 Atq; ait: empyrei Rex mansuetissime regni,  
 Tu memor esto mei propriam mox scanderis aulam.  
 Mi licet immerito clemens miserere precanti,  
 Et tua poena meas penset durissima noxas.

Te solum fateor dominum, tibi dedico pectus,  
 Hanc tibi macto animam, gemitus ne spreueris alios,  
 Quos fundo cordis moestus fidensq; propinquo.

Sic implorantem magnis solatur IESVS  
 Promissis, fili ne desperaueris, inquit,  
 Certus crede, locis hodie fruiturus amoenis  
 Gaudebis, ueniens mecum paradisia tempe,  
 Sors ubi nulla potest tristem miscere dolorem  
 Morosis uicibus, tantum stant gaudia semper,  
 Quae morte eucta regno confertus habebis.  
 Talia praestabat dominus, fixusq; manebat,

## LIBER QUINTVS.



VM mala tot patitur funesto  
 in robore Christus,  
 Ne poenarum intus tortura rem  
 missior esset  
 Quam foris irrumpunt animi  
 conclauē dolores

Illati aspectu moestae genitricis amico.

Stabat enim iuxta lignum funebre, sorores  
 Mater habens secum socias, cum coelibe seruo,  
 Magdaliaq; nuru. Quas ut despexit IESVS,  
 Plus solito indoluit, quamuis sat maceret angor  
 Iam datus, ipsa tamen crescit magis ansa dolendi,

Quando

Quando parens, sociæq; gemunt mœrore pudico  
 Ipsius exitium, nec enim pietatis abyssus  
 Ferre ualet sicco affectu sua uulnera flentes:  
 Præsertim matris tenero compassus amori  
 (Cui transfigi animam gladio polimartyre norat)  
 Hanc studuit dono fidi releuare clientis.  
 Atq; illam intuitus specula sublimis ab alta  
 Compellat, pressans immensum corde dolorem,  
 Mollia uerba tamen siluit, ne uirgineum cor  
 Alloquio dulci laxum marceret in extis.  
 At rigidus, sapienter ait, iam scemina nature  
 Desine me posthac terris optare caducis,  
 Me sine succedat nostro dilectus honori  
 Discipulus, tecum qui te facit usq; sodalem.  
 Mox ad discipulum conuersus, talia fatur:  
 O mihi chare puer, postquam discedimus isthinc,  
 Assumas curam uiduæ genitricis, & esto  
 Huius in obsequium nostra uice filius alter.  
 Si me agnoscis herum, monstra, mea iussa sequendo.  
 Haud mora, sedulior dominam pro matre receptat  
 Discipulus, uenerans pia testamenta magistri.  
 Interea horribili squallet ferrugine cœlum,  
 Densaturq; nigra specie palpabilis aër,  
 Et mirum, quibus indiderat rationis acumen



Hel pater, ingratos super insensata uidebat.  
 Nanq; ubi contuitur sol rerum proditor, atra  
 Morte suum plaslen trabibus languere subactis,  
 Protinus auricomos radios à uertice pulchro  
 Fulsit, & obducta facie rufantibus umbris,  
 Cuncta suum autorem lugere elementa monebat.  
 Ipseq; pullatus fusca in caligine, nonam  
 A sexta expectans, casus deplauit heriles.  
 Nonaq; dum instaret picei clepsidra diei,  
 Clamorem ualidum moriens patris auribus infert  
 Pensilis in ligno Christus, nece sicq;e propinqua  
 Oravit dicens: Heli in discrimine tanto  
 Menè fugis? natumq;e pater sic despicias unum?  
 Continuo orantem subsannat agmina stantum  
 Hic (aiunt) præsens sibi postulat Helias ut sit  
 Subsidio, uigiles igitur cernamus, an illi  
 Suppetiaturus ueniat Thesbiticus heros.

Iamq;e prophetarum de Christo oracula finem  
 Sumebant, perpauca tamen superesse magister  
 Optimus aspiciens, non intentata reliquit.  
 En, ait, exuccas torquet sitis arida fauces.  
 Ah sitio, clamat, certe sitiēbat anhelō  
 Gurgulione rigens, sed se sitiendo docebat  
 Velle animas hominum sociare perennibus aulis,

Secum ubi foelices maneant, dulciq̄ue fruuntur  
 Ambrosia, nectarq̄ue bibent ad gaudia natum.  
 O Iudae siti refugis succurrere tantae?  
 Illa refrigerium tibi conferet omnibus auis  
 Hanc modo si releues, sed quid miser, ò miser, inquam,  
 Heu quid agis, feritate tibi quae natio praestat,  
 Vt uelit afflictis poenas augere cruentas?  
 Prostratoq̄ue hosti bilem seruare tenacem?  
 Ecce tamen fati iamiam concedere promptum  
 Supplicio exagitant, fanna risuq̄ue recenti.  
 Utq̄ue sitibundum grauius conuellere pergant  
 Porrigitur subito calamari in uertice spongius  
 Quem latices acidi, myrrhosaq̄ue potio fellis  
 Vnliq; compluerant, ut sic pincerna malignus  
 Heu mundi domino uirus lethale propinet.  
 Ipse autem ut tetigit summis absynthia labris,  
 Nil patitur stomachi ieiunam incurere cellam.  
 Mox sic uociferans fatur: Dauidica quicquid  
 Nablia praesago cecinerunt carmina de me,  
 Est consummatum, siquidem potamur aceto.  
 Atq; iterum clamans uocali gutture, fudit  
 Cum precibus lachrymas, patriq̄ue ita supplicat almo:  
 Spiritus ecce meus repetit pater alme tuarum  
 Amplexus manum, quem leto suscipe uultu.

Hoc dicto

Hoc dicto pallet facies, corpusq; rigescens  
 Palpitat, & uulsa crepitant in pectore fibrae  
 Buxentesq; genae praemortua lumina condunt.  
 Sic ubi dum morti certat conflagere Christus,  
 Synciput inclinans, animam singultat in auras,  
 Quae raptim limbos, hypogaeaq; claustra barathri  
 Peruolat, exemptura patres de carcere caeco.

Ecce statim torrens adyto fragor editus imo  
 Perculit edituos templi, qui protinus illuc  
 Dum currunt, uisa est diuino carbasus ictu  
 Per medium fractis sese dispescere uelis.  
 Tunc patuere prius nunquam concessa uideri.  
 Ni semel in toto anno, cum peccata sacerdos  
 Maximus, hircorum distincta sorte piabat.  
 Tunc ultra licuit tensum procedere uelum,  
 Ars quod texerat uario plumatilis orsu,  
 Muta etiam sensit propria natura satori  
 Obuenisse necem, tellus nam clade remugit,  
 Disiliuntq; petrae lesis per mutua petris,  
 Saxaq; clasmatibus strident, toruumq; resultat  
 Vox conflictantum portentosissima rerum.  
 Cippus hiat passim, tumulatorum ossaq; clangunt,  
 Et quasi nitantur rediuiua repangere primam  
 Carnis honestatem, passim monumenta supinant.

Nec fallentur enim, quia mox ubi Christe resurges  
 Puluere de fædo, pulchros formabis honores  
 Sanctorum, sanctam qui te duce protinus urbem  
 Ingressi multos conuertant in tua iura.

Centurio, iuncti q; simul mauortis alumni,  
 Qui circumstiterant, ut seruaretur IESVS,  
 Horribili stupuere metu, morientis ut altos  
 Percepere tonos, miram & titanis eclipsim,  
 Nocteq; cymmeria terras inuoluier omnes,  
 Quassariq; uago labefactum turbine mundum.  
 Et respiscentes, pugnis thoracas abænos  
 Contundunt, actusq; suos communiter horrent.  
 Italicusq; gemens princeps cui nomina centum  
 Parebant, clara testatur uoce litatam  
 Esse dei sobolem, cui sic natura parentat.  
 Intrausq; dolens, ueh, iustum occidimus, inquit,  
 Et quatiens pugnis pectus procumbit humi sons,  
 Exposcens morientis opem, ueniæq; medelas.  
 Exemploq; suo qui secum ad funera stabant  
 Exerti, studium propriæ meditando salutis,  
 Parcaturq; sibi rogitant pro criminis ausu.  
 Sic Christo infesti, Christum concorditer orant,  
 Vt quem tempserunt uiuum, uereantur euentem.  
 Inficiaturus nemo narrata friabit:

Nempe



Nempe fidem testes firmant queis toxica nuge,  
 Qui præsto semper gestis dictisque fuerunt.

Mos erat Hebræis pensos deponere ligno  
 Solis in occasu, ritum properantius urget  
 Obseruare dies festo solennior omni  
 Sabbaticus, Phæbo qui mox oriente micaret.  
 Ergo magistratus Iudææ plebis ad ædes  
 Præsidis accessit, querens deponere fixos,  
 Ne quicquàm fieret pollutum in luce nephasta,  
 Tantum religio uiguit præpostera duris  
 Cordibus ut mortem iusti minus esse putarent,  
 Quàm festo spectare die suspendia surum.  
 Carnifices igitur longis hastilibus occant  
 Crura nociuorum, quos uel suspiria nondum  
 Exhalasse cauis pulmonibus ultima cernunt.  
 Mox Christo intententi, quia dudum mortuus alget,  
 Ossifragos flectunt animos, ut uera paterent  
 Verba patrum, minui Christi quibus ossa uetantur,  
 Ut lapis agnine uenerandum pascha figurat.

Debuerant odium pœnæ uicisse malorum  
 Lethales (ah ecce nephas) imbellæ cadauer  
 Dilacerare student, pernices unde quiritem  
 Accersunt unum, quem stridula fraxinus armat,  
 Ipse celer tereti rimetur ut intima ferro

Pendentis domini, qui nil cunctatus hiulcum  
 Esse latus fecit, quantum uibratile ferrum est.  
 Lympha cruorq̄ue statim uasto de uulnere manat.

O pietas, nunquid frustra mitissime I E S V

Ista tibi pateris faciant in corpore sancto?

O pelagus pietate fluens, mysteria nostræ

Ista salutis erant, quid enim magis utile constat

Captiuus, pulchra quàm libertate beari?

Heu nos elysijs genitor primæuus in hortis

Sphinge miser stygia superatus perdidit omnes.

Hinc à sede poli damnatur carite cara,

Inde malorum ingens per mundum lerna cucurrit,

Inde neces, cumulusq̄ue doli prorumpit in æuum,

In quo mortales cum culpis degimus orti,

Exactorq̄ue datur tanta pro clade tyrannus,

Qui nos ut perimat, secum pro plurima fraudum

Consilia implicitos, nunquàm uersare quiescit.

Inde dolor, gemitus, labor infinitus, & ardens

Heu pudor, humani generis miserat ille fatum

Exagitant, ideo qui nos hinc seruet egemus.

Ecce deus noster captiuos liberat amplo

Antilytro, sanctum corpus pro carne prophana

Exponens, delet fuso chirographa nostra

Sanguine, turpatos illimi & diluit unda.

Talibus abluti niptis, fluxuq; redempti  
 Purpureo, grates semper curemus agendas.  
 Est aliud scitu dignum ualdeq; notandum  
 In plaga lateris sopiti in stipite Christi.  
 Eua soporato sicut de compare prodit,  
 Quando deus matrem costa compingeret illam,  
 Christus in algenti stertens torpedine mortis,  
 Fecit ut à latere exoriens ecclesia scisso,  
 Sponsa crearetur, proprij coniunxq; parentis.  
 Utq; benignus eam coelesti in pastade nuptam  
 Sisteret, hanc uoluit dignam fecisse uocando,  
 De serua in dominam mutans, ueteriq; pepercit  
 Offensa, fecesq; mali, tabemq; uetustam  
 Abluit in uitreis sacri baptismatis undis.  
 Hanc etiam gemmis compsit fuluoque monili,  
 Delibuitque sacro pigmento, ut pulchrior axem  
 Sydereum scandens, sceptroq; thronoq; receptis,  
 Plena bonis, fulgensq; opibus regina sederet.

Quis deus, oro, tuæ numeret pietatis arithmo?  
 Quoë metro centrum tanti mensuret amoris  
 Erga nos positi? superant hæc munera laudes  
 Angelicas, hominum quam segnius ore canentur:  
 Nos lugubris hymen materna fudit ab aluo  
 Legirupas, sequitur uitam cacoëthes auitum.

Impietasq; premit patria uitiligine turpes,  
 Et cælo inuisos, uarijsq; reatibus arctas,  
 Vt pressi pœnis hastas optemus & enses,  
 Heu miseram sortem liceat uel morte cauere.  
 Sed nos peior habet ueniens fortuna, secunda  
 Mortis acus pilumq; gerens in funera nostra.  
 Hæc mala Christe tua nobis bonitate relaxas.  
 O immense deus sortem mutasse misellam  
 Sufficeret, quid adhuc pergis dulcissime soter,  
 Vt cumules donis quos tanta à morte uocasti?  
 Nos prius ægilope & lolijs idola citabant,  
 Nunc ueri manne similia latreia saginat,  
 Porcorum siliquas olidi glutire subulci  
 Optabamus, herum peregre patiendocycloperum,  
 Dactylion primamq; stolam sub patre sereno  
 Nunc capimus reduces, uitulicq; omenta uoramus:  
 Nos prius asphodeli macra fouere patella,  
 Nunc letum nepenthes alit, seruatq; iocosos.  
 Allia, cæpa, pepo, terra in nilotide quondam  
 Nos male pascebant, oneratos tristibus escis,  
 Punica mala modo, ficus uiuasq; salubres  
 Fert nobis, satione leui multum utilis Escol.  
 Nos pedore, situ, squalore, fimoq; sepultos,  
 Putentes storeæ, pannosaque scruta tegebant,



En segmentato stercora cessisse cubili  
 Fecisti, pannoſq; uocas ad uelera ferum,  
 Et que uisa prius ſœtens, uitijſquē ſubacta,  
 Nunc ſclerum uictrix ſplendet formoſa uir ago,  
 Sponſa dei thalamos eccleſia itura polares,  
 Si tamen hic ſtudeat perſtare fidelis, amico  
 Grata ſuo. Siquidem fluuius de pectore Chriſti  
 Irriguis admixtus aquis connubia ſignat  
 Iſta, etenim ſanguis claræ miſcetur ut undæ,  
 Sic olim æterno gaudens iungetur I E S V  
 Vxor ſancta, hominum creſcens examine ſancto.  
 Symbola nempe undæ populi multa agmina ſignat.  
 Que ſi ſanguineoſ Chriſti cum carne ſapores  
 Sumere feruenter ſtudeant, uertentur in unos  
 Corporis amplexus, ergo ſumamus ouantes  
 Sympunium patinamquē dei, caro nanq; litata  
 Pro nobis, ſatiet, fulcit quoq; corda uorantum.  
 Hic cruor in biuulis & philtra & miſtra uaporat.  
 Philtra, quibus pulchræ ſtudium uirtutis amatur.  
 Miſtra, quibus uitijſ bellum implacabile durat.  
 Qui mundi ergo uolet flagrantem extingueret orexiſſis  
 Transferre in cælum à cœno & certabit amores,  
 Ad Chriſtum properet, cuius de carne diorix  
 Quina fluit, uenęquē liquor uitalis abundat,

Vnde sitim maciemque animi pepulisse iuuabit.

Hesperus ignicomum pagis monstrabat Iberis

Iamque iubar, suadens pecudes in ouili reduci,

Cum subito quidam procerum non infimus urbis

Iudaicæ, solitus stipari milite deno,

Stemmatibusque nitens multis, cui nomen Ioseph,

Patricius, fulgens opibus, qui semper IESVM

Doctorem sectatus erat uelut æthere missum,

Clam tamen, ut patrios sibi conseruaret honores,

Nam quicumque palam fuerat confessus IESVM

Esse genus cœli, Iudæo proinde senatu

Arcebat inops, commercia libera perdens,

Prædia, remque domus, fiscus radebat auarus.

Postquam non licuit simulato uiuere ritu

Exterius, fidens æternis rebus Ioseph,

Ignis ingenue contempsit iussa priorum,

Quos aduersari manifeste legibus æquis

Viderat, idcirco constans ad Cæsaris audet

Tendere præfectum, supplexque rogare potentem,

Vt sibi cedatur remouendi membra facultas

Pendentis domini. Miratur præses IESVM

Tam subito spirasse animam, rogat impiger ergo

Centurionem, utrum pendens obiisset IESVS.

Quo testante, statim corpus donauit Ioseph.

## 148: DE PASSIONE DOMINI

Hic donis fesus gelidum de corde pauorem  
 Excudit, & querens scalas & congrua uoto  
 Instrumenta suo, Caluarum uenit ad oram.  
 Cui comes accessit portans Nicodemus onustos  
 Staete sinus, aloësq; simul quasi pondera centum.  
 Iste prior fastum rabbinæ gymnadis olim  
 Deposuit, quando sera sub nocte magistri  
 Venit ad hospitium, leges & sacra docendus,  
 Que ualeant hominem ueris purgare lauachris.  
 Hi simul, & studio scandunt non dispare rupem  
 Golgothidem, gliscunt finiri promptius ambo  
 Inceptas operas, facit hic herere ceruchis  
 Ambobus scalas, Arimathæus iuga cuius  
 Iam crucis ascendit, sequitur Nicodemus & imas  
 Arripiens domini plantas, lachrymatur abunde  
 Propter hians uulnus, molli respondet Ioseph  
 Par desyderio, præstat tamen esse parumper  
 Fletibus inmites, quàm sanctis de fore ceptis.  
 Tersa igitur facie dolor alto in corde resedit.  
 Feruet opus sanctum, quia quem transuersa ferebat  
 Subscus eripuit diuo de uertice sentes,  
 In primisq; manus ambas diuulsit, & alium  
 Corpus in extensis Nicodemi linquitur ulnis.  
 Inde pedum Christi rubra stigmata querit Ioseph  
 Cuspidibus

Cuspibus transfossa malis, tum dente tenaci  
 Nititur, & chalybem traxit de uulnere longum.  
 Moxq; domum famulo iubet instrumenta referre,  
 Ipse tamen plantas amplexus in oscula creber  
 Corruit, & supplex labijs pia uulnera lambit.  
 Tandem depositos artus Nicodemus & alter  
 Synceri meriti socius, reuerenter odoro  
 Pollinctu spargunt aloes, & orontide myrrha.  
 Postquam more patrum fragrauit aromate fumus,  
 Insuitur niueo lustralis uictima lino,  
 Quod mercatus erat ueniens non segnis Ioseph.  
 Iam declina dies & cras oriturus apollo  
 Sabbata habens secum, tristes differre uetabat  
 Exequias, etiam celerandi fabrica tymbi  
 Ociolum cultumq; negat, quapropter in horto  
 Qui prope sarritur, statuunt sepelire cadauer.  
 Nec casu hoc factum est, imò diuinitus ista  
 Eueniunt, siquidem noua mausolea recenter  
 Sculpta fuerit illic, nec enim bone Christe decebat  
 Ut tua materies cinere obtegeretur iniquo.  
 Tu solus sine labe, omnes nos nascimur ortu  
 Traducis infecti, spurcaq; libidine turpes.  
 Ergo illuc portant dominum pollinctor uterq;  
 Quos sequitur sexus lachrymis torrentibus humens.



Mollior, obsequium planctus ut reddat amico,  
 Prospicietque situm loculi, quo strenua saltem  
 Officia impendens, liceat uel scire sepulchrum.  
 Mox ubi uenerunt hortum, sacra gleba locatur  
 In serobe saxosa, grandem tumuli que meatum  
 Oppilant filice ingenti, rimasque; lutillant.  
 Quisque; suos tandem stendo rediere penates,  
 Vix tamen inde abeunt Mariæ Galileides, & que  
 Dimissis laribus fuerant dominum usque; sequute  
 Magdalis in primis ægre diuellitur antro  
 Marmoreo, & nisi nox illinc suasisset abire,  
 Peruigil inferias domino celebrare parata est.  
 Abscessere tamē cunctæ, loculoque; notato  
 Venturas se illuc spondent post festa quietis,  
 Si prius unguentum barrino in dente pararint.  
 Iam parascæue lux successura micabat,  
 Que nullū concedit opus seruile patrari  
 Gentibus Hebræis, tantum licet esse quietas  
 A prauis præsertim actis, quia festa figurant  
 Corporis ociolo, mentes sine crimine semper  
 Debere esse pias. Sed quando sensa sequetur  
 Mystica crassus homo? nec enim sus bruta Minerva  
 Assidet, atque; malis sôphiam iuga nulla maritant  
 Mentibus, horrescitque; deus miserier illis

Idcirco populus terræ qui præmia tantum  
 Cernuus ardebat, quid cælum ferre iuberet  
 Dissimulat, ducitq; nihil liuoribus uri.  
 Sabbatico ergo die Pilati ad tecta migrarunt  
 Turba senum, templique mares, cœtusque poparum,  
 Cumq; phariseis scribæ, legisq; periti,  
 Qui simul allecti, satrapæ petulantius aures  
 His onerant: domine ausculta, pseudo ille propheta  
 Quid uulgarit adhuc uiuens. ego per tri duum ( inquit )  
 Emoriar, posthac uicto rediuiuus ab orco  
 Exilian. quare uigiles conferre liburnos  
 Non tibi displiceat, qui seruent ostia grandis  
 Sarcophagi, quia forte parant illius alumni  
 Clepere finus iners, quod plebi uiuere dicent.  
 Et fiet rumore sequens insania primo  
 Incurabilior, tantas ideo abijce pestes,  
 Dum uacat, & nobis te concedente facultas  
 Sit data, qua tumulto custodes signaque demus.  
 Nare trahi populus leuiter solet, & mala quæuis  
 Fortius hærebunt, quàm quæ opportuna loquemur.  
 Gnauiter esse igitur nobis ante omnia cautum  
 Debet, ut affeclas huius pellacis inanes  
 Spe uana elusos, signis monstremus apertis.  
 Ad quos Pilatus: quicquid rogitatis Hebræi

Sumite, concedo signum tumuliq; statores,  
Ite citi, nauate operam per cuncta uirilem.  
Hæc ubi dicta, abeunt precibus uotisq; potiti,  
Et sistunt acies hastatas ante sepulchrum,  
Sphragidibusq; habitis, spelea cauata sigillant.

FINIS.

ARATO

RIS SVBDIAconi CHRISTIANI  
poetae ad Florianum abbatem, in san-  
ctissima Apostolorum Acta  
praefatio.



**Q**ui meriti florem maturis sensibus ortum,  
 Nominis ore tui iam Floriane tenes.  
 Nam primæuus adhuc senibus documenta dedisti,  
 Et quibus in coelum uita pararet iter:  
 Ad cæm concurre meum, pedibusquæ labanti,  
 Porrige de placido sepe fauere manum.  
 Ieiuno sermone quidem, sed pingua gesta  
 Scripsimus, ac pelagi pondere gutta fluit.  
 Inter grandiloquos per mille uolumina libros  
 Maxima cum teneas, & breuiora lege.  
 Naturæquæ modum, quam rerum condidit autor,  
 Concordent studijs celsa uel ima tuis.  
 Quæ genuit Tigres, quæ nutrit terra Leones,  
 Formicis. apibus præbuit ipsa sinum,  
 Et si respicias dispenset ut omnia rector,  
 Ingenium mites, uim meruere truces.  
 Ipsaquæ continuum uirtus infracta laborem  
 Deserit, & uarias quærit habere uires.  
 Loricam solitus membris imponere miles,  
 Gymnasijs gaudet nudus adire locum.  
 Et qui ferratas acies, atq; agmina uincunt,  
 Imbelles ferunt per sua tela feras.  
 Ergo gradum reuincens, & prisca uolumina linquens,  
 Cede dies operi, quod pia causa iuuat.

## A R A T O R S V B D I A C O N V S

Vigilio pontifici S.

**M**oenibus undosis bellorum incendia cernens,  
Pars ego tunc populi tela pauentis erans.

Publica libertas Vigili sanctissime Papa

Aduenis incluso soluere uincla gregi.

De gladijs rapiuntur oues pastore ministro,

Inque humeris ferimur te reuocante pijs.

Corporeum satis est sic euasisse periculum,

At mihi plus animæ nascitur inde salus.

Ecclesiam subeo dimissa naufragus aula,

Perfida mundani defero uela freti,

Transferor ad niueas Petri sine turbine caulas,

Et fruor optati iam statione soli.

Littoris ille sinus ad carbasa nostra parauit,

Fluctibus in medijs cui uia sicca fuit.

Esse reus potero grates si reddere cessem,

Vnius officio displicuere nouem.

Sensibus ardor inest horum celebrare labores,

Quorum uoce fides obtinet orbis iter.

Versibus ipse canam, quos Lucas rettulit actus,

Historiamque sequens carmina uera loquar.

Alternis referabo modis quod littera pandit,

Et res si qua mihi mystica corde datur.

Metrica

Metrica uis sacris non est incognita libris,  
 Nam Psalmos lyrici composuere pedes.  
 Exametris constare sonis in origine linguae  
 Cantica Hieremiae. Iob quoque dicta ferunt,  
 Hoc tibi magne pater cum defero munus amoris,  
 Respice quod meritis debita soluo tuis.  
 Te duce tyro legor, te dogmata disco magistro.  
 Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.

# ARATO

RIS SVBDIACONI ROMANA ecclesie, Cardinalis apostolice Historie Lib. I.



T SCELERIS Indea sui  
polluta cruore  
Ausa nefas compleuit opus, re-  
runq; creator,  
Hoc quod ab humanis sumpsit  
sine semine membris,

Humana pro stirpe dedit, dignatus ut ima  
Tangeret inferni non linquens ardua cœli,  
Solut ab æterna damnatas nocte tenebras,  
Ad manes ingressa dies: fugitiua relinquunt  
Astra polum comitata deum cruce territa Christi.  
Vult pariter natura pati, mortisq; potestas  
Se uincente perit, quæ pondere mersa triumphi,  
Plus rapiens, nil iuris habet, diuinaq; uirtus,  
Rursus membra ligans, animata cadauera mouit,  
Ad uitam monumenta patent, cineresq; piorum  
Natalem post busta nouant, lux tertia surgit  
Maestas cum carne redit, speciemq; coruscant

Vmbra



Vmbrarum de sede refert, ut ab exule limo  
 Inter clausa diu, patrie repetatur origo.  
 Omnipotens parat ipse uias, & corpora secum  
 Post tumulos regnare iubet, moriente ueneni  
 Semine florifero sua germina reddidit horto.

Christum postquam tertia die surrexit à mortuis quadraginta diebus fuisse cum discipulis suis manducantem cum eis, & cætera signa facientem. quibus uerum corpus, & idē quod antequam crucifigeretur, erat, manifeste cognoscere tur ac iussisse Apostolos, ut usq; ad fines terræ Euangelium prædicarent. Illis deinde uidentibus & multū admirantibus è monte Oliueto ascendisse in cœlum. Postea discipulos omnes admonitione Angelica Hierosolymam rediisse, ubi Maria uirgo dei mater erat.

Iamq; quaterdenis dominus manifesta diebus  
 Contulerat per signa fidem cernentibus illis,  
 Ut sub extremum diffuso in limite mundum,  
 Quos testes iubet esse suos miracula rerum  
 Non poterant cælare deum: documenta resurgens  
 Quæ sic certa daret quàm mandere, corpora uitam  
 Huius humana probant, cœlum petiturus, oliuæ

Progre-

Progreditur lustrare nemus, quia germine sacro  
 Luminis & pacis locus est uult inde reuerti  
 Vnde creaturam signata fronte micantem  
 Diuinus commendat odor, cum desuper unctos  
 Abluit interius Christi de nomine chrisina,  
 Tollitur asrigerum rediturus uictor in axem,  
 Et secum quod sumpsit habet: noua pompa triumphi.  
 Arua deus petijt, homo sidera, quis datur illi  
 Aetherea de parte fragor: quantumq; resultant  
 Coelestes in laude chori: cum rector olympi  
 Euehit excelsis quicquid suscepit ab imis?  
 Ingrediensq; polum carnis comitante trophæo,  
 Exuuias atris raptas de fauce profundi  
 Lucis in arce locat, terrenosq; erigit artus,  
 Qua pietate capit, propter quem uenerat, iuit.  
 Discipulos stupor altus agit, quibus ore corusco  
 Perspicui dixere uiri, quæ cognita nobis  
 Et miranda sonant, nunc iam speculemur ouantes,  
 Imperijq; modum per subdita iura probemus.  
 Virgine matre satus calcata morte resurgens  
 Coeli sceptrâ petens, his nunciat acta ministris.  
 Nec cessant elementa suo seruire tonanti,  
 Stella comes progressa magos, uenientis honori  
 Militat, obsequio nubes famulatur euntis.

Angelicis

Angelicis igitur postquam est affatibus usa,  
 Liquit oliuiferi ueneranda cacumina montis  
 Ad messem prælecta manus, qui calle citato  
 Mœnia nota petunt, quo per sua sabbata mille  
 Passibus ire licet, qua tunc statione sedebat  
 Porta Maria dei genitrix intacta creantis,  
 A nato formata suo, mala criminis Eue  
 Virgo secunda fugat, nulla est iniuria sexus.  
 Restituit quod prima tulit, non uoce querelas  
 Excitet, aut gemitu moerentia corda fatiget.  
 Antiqua pro lege dolor, scelera ipsa, nefasq;  
 Hac potius mercede placent, mundoq; redempto,  
 Sors melior de clade uenit, persona ruinam  
 Non natura dedit, tunc foemina foeta periculum  
 Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens,  
 Et diuina ferens, per quam mediator in orbem  
 Prodiit, & ueram portauit ad æthera carnem.

Iudam desperatum suspendio uitam  
 finisse, & corpus eius non sepultum, sed  
 ex patibulo frustatim cecidisse, Agrum-  
 que triginta eis denarijs, quibus Domi-  
 nus uenditus est, quod ager sanguinis  
 esset emptum; atq; ad sepelienda adue-  
 narum cadauera destinatum. Et Petrum  
 de

de eligendo in locum proditoris Iudæ alium discipulum inter discipulos concionatum esse, quod prædictum esset à propheta, ut alius eligeretur: Constitutos igitur duos. Ioseph cognomento Iustum & Matthiam, dei paruum & paruum Iusto prælatum.

Primus apostolico parua de puppe uocatus  
 Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat  
 Squamea turba capi, subito de littore uisus,  
 Dum trahit, ipse trahi meruit: piscatio Christi  
 Discipulum dignata rapit, qui retia laxet  
 Humanum captura genus, quæ gesserat hamum  
 Ad clauem est translata manus, quiq; æquoris imi  
 Ardebat madidas ad littora uertere prædas,  
 Et spolijs implere ratem melioribus undis.  
 Nunc alia de parte leuat, nec deserit artem  
 Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus  
 Quas passus saluauit oues, totumq; per orbem,  
 Hoc auget pastore gregem, quo munere summus  
 Surgit, & insinuans diuina negotia corant.  
 Sic uenerandus ait: nostis quia proditor amens  
 Mercedem sceleris soluit sibi, tædia noxa  
 Horruit ipse suo stringens in gutture uocem



Exemplo cessante ream, qui parte necari  
 Promeruit, qua culpa fuit, crimenq; retractans  
 Inditio tali permisit membra furori  
 Aëris in medio, communi ut poneret hosti  
 Debita pœna locum, cœlum terramq; perosus  
 Inter utrunq; perit, nullis condenda sepulchris.  
 Viscera rupta uadunt, tenuesq; elapsus in auras  
 Fugit ab orbe cinis, non hæc uacat ultio Iudæ,  
 Que suprema negat, uindictaq; mercis iniquæ  
 Sic placitura uenit, nam cum modo rura parasset  
 Funeris ex pretio cum nomine sanguinis emptus  
 Cespes, in externas componens busta fauillas,  
 De tumulis fœcundet humum, caret impius agri  
 Fertilitate sui, solusq; excluditur aruis  
 Que monumenta ferunt, cuius tuba seua cruentum  
 Est exorsa nefas, qui signifer oscula figens  
 Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno.  
 Nunc opus est uotis, quod uerba prophetica clamant,  
 Quem liceat supplere uices, tunc summa precantes  
 Constituere duos, Ioseph cognomine Iustum,  
 Matthiamq; dei paruum: quod nomen ut aiunt,  
 Hebræo sermone sonat, humilemq; uocando  
 Comprobat: ô quantum distant humana supernis  
 Iudicijs, parui merito transcenditur ille

Laude hominum, qui iustus erat, duodena refulgent

Signa chori, terrisq; iubar iaculatur olympi.

Hæc quoq; lux operis quid præferat edere pergam.

Quatuor est laterum discretus partibus orbis,

Trina fides uocat hunc, quo nomine fonte lauatur,

Quatuor ergo simul repetentes ter, computat omnem

Quam duodenarius circumtulit ordo figuram.

Discipulisq; pijs, quibus hoc baptisma iubetur,

Mystica causa dedit numerum recreare priorem.

Spiritum sanctum è cœlo lapsum, domum in qua erant Apostoli, repleuisse, moxq; eos uarijs, τὰ τοῦ θεοῦ μεγάλα elocutos linguis, ac miratos aduenas cum suas ipsorum linguas eos loqui audirent.

Spiritus ætherea descendens sanctus ab aula,

Cap. 2.

Irradiat fulgore locum, quo stemma beatum

Ecclesiæ nascentis erat, quibus igne magistro

Imbuit ora calor, dictisq; fluentibus exit

Linguarum populosa seges, non littera gessit

Officium, non ingenij stillauit ab ore

Vena, nec egregias signauit cera loquelas.

Sola fuit doctrina fides opulentâq; uerbi

Materies cœlestis datum, noua uocis origo

Que numerosa uenit, totoq; ex orbe disertis  
 Sufficit unà loqui dudum uetus æquoris arca  
 Cum superasset aquas, turrim uoluere maligni  
 In cælum proferre suam, quibus impia corda  
 Sermonum secuere modos, socijsq; superbis  
 Affectus cum uoce perit, confusio linguæ  
 Consimili tunc gente fuit, nunc pluribus una est,  
 Ecclesiæ quoniam uenientis imagine gaudet  
 Concordes habitura sonos, et pace modestis  
 Fit focunda redux, humilisq; recolligit ordo,  
 Quod tumidi sparsere uiri. Res maxima cogit,  
 Non reticere diu quid sit quod spiritus almus  
 His datur in flamma, Iordanis ab amne columba.  
 Quod tunc ritè canam, promissaq; debita soluam  
 Si sua dona ferat: duo sunt hæc signa figuræ  
 Ut sit simplicitas, quam congrua diligit ales,  
 Quæ nec tarda gerat sine dogmatis igne tepores,  
 Sit pariter succensa fides, ibi destinat undis  
 Vnanimis, hic ore iubet flagrare docentes.  
 Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor.  
 Hos etiam musto typica ratione moueri,  
 Error uerus ait, quos ebria fonte recenti  
 Compleuit doctrina poli, noua uasa liquorem  
 Suscepere nouum, nec corrumpuntur acerbo,

Quo ueteres maduere lacus de uite bibentes,  
 Que Christo cultore dedit conuiuia uerbis.  
 Vnde rubent quas uertit aqua, tenuemq; saporem  
 Legis in ecclesia fecit feruescere libris.  
 Tertia sydereis inclaruit hora loquelis.  
 Hunc numerum Deus unus habet, substantia simplex  
 Personis distincta tribus, quam piurima nobis  
 Instrumenta patent simul hoc & tempora monstrant.

Petrum Apostolum Christi incarnationem & passionem, & resurrectionem  
 prædicasse, utq; à praua Iudæorum gente discederetur, & ad Christum iretur,  
 admonuisse: atq; tria millia hominū eo  
 die baptizata.

Primus at ille Petrus, cui seruit in æquore gressus  
 Retia iam cupiens hominum uibrare saluti,  
 Ut piscator ouans leuet has de fonte cateruas,  
 Retulit æthereos populo mirante triumphos.  
 Venit ad occiduas carnaliter editus oras  
 Humana sub lege deus, qui temporis expers  
 Principium de matre tulit, nec uile putauit  
 Maiestate potens, terreni sumere formam  
 Corporis atq; opifex hominum pars esse, suoq;



Nos pretio reuocare sibi, post dona salutis,  
 Postquam tot ereptos pulsus languoribus egros,  
 Cum defleta etiam, perfunctaq; corpora luci  
 Redderet, & superas iterum concederet auras,  
 Se quoq; permittens fusus genitricis ab aluo  
 Carnis iura pati, uitam ne perderet orbis  
 Maluit ipse mori, sed quod de uirgine foeta  
 Nascitur illud obit, ligno suspenditur insons.  
 Sic ligni uacuatur onus, sic uulnus iniqui  
 Et medicina dei pauidis resplenduit umbris,  
 Pallida regna petens, propria quem luce coruscum  
 Non potuit fuscare chaos, fugere dolores,  
 Infernus tunc esse timet, nullumq; coercens  
 In se poena redit, noua tortor ad otia languet.  
 Tartara mœsta gemunt, quia uincula cuncta quiescunt.  
 Mors ibi quid faceret? quo uitæ portitor ibat?  
 Hunc deus omnipotens, cui nunquam terminus instat,  
 Post sacra busta leuat radiantem in corpore IESVM  
 Vidimus, & proprijs reducem conspeximus astris.  
 Sed fugite ò miseri funesta piacula gentis  
 Cui ueniente deo ueteres auertere noxas  
 Addita sacrilegæ creuerunt uulnera culpæ.  
 Cur natos Iudæa tuos per uota cruoris,  
 Cur parricida trahis? quid Christi sanguine fuso

Hos tecum damnata premis? nec dumq; creatos  
 Festinas proferre reos? homicidaq; lingua  
 Naturæ percussit iter, cui serior ortus  
 Quam facinus discrimen habet, scelerumq; propago  
 De natale perit, quæ saucia uoce parentum  
 In lucem punita uenit, si soluere cura est  
 Fœcundi crementa mali felicibus undis  
 Extinctum reparate genus. spes una remittit  
 Debita supplicij, post crimina uelle renasci.  
 Multiplicat iam pastor oues. tria millia uulgi  
 Non minus dies in flumine diluit agni.  
 Hic primus post iussa dei baptismatis usus  
 Exoritur data iura probans: nam trina potestas  
 Colligit hanc prolem, numerum partita per æquum  
 Perfectum est quod mille sonat, sic deniq; seclis  
 Ponimus ætates cum tempora dicimus orbis,  
 Res perfecta semel ter iungitur, & facit agmen  
 Mystica uis numeri, gregis est pia forma nouelli.

Omnia post spiritus sancti aduentum  
 Apostolis fuisse communia, bisq; spiritu  
 sancto afflatos, unanimes collaudasse  
 deum, hincq; duobus præceptis ius om-  
 ne contineri, hoc est, dilige deū præter cæ-  
 tera, & proximum tuum sicut teipsum.

Funditur interea per cunctos gratia sensus.  
 Diuitiasq; metit locuples in amore uoluntas.  
 Utq; pij coeant in foedera pignore certo.  
 Res laxat, & corda ligant, sine limite census  
 Affectu consorte licet noua iura beatis  
 Munifica fluxere manu, quibus ubere leto  
 Diuise geminantur opes, & crescit in omnes,  
 Quod faciunt commune sibi, totumq; capeffunt  
 Quod proprium nihil esse uolunt, quo fonte cucurrit  
 Hæc probitas, quæ uic illa fuit bonitatis origo,  
 Hinc canere incipiam, sacris bis spiritus almus  
 Discipulis concessus erat, spiratur in illos  
 A Christo surgente semel, post missus ab astris  
 Nescia uerba uiris facundus detulit ignis.  
 Nequid inexpertum studio meditemur inani:  
 Spiritus alme ueni, sine te non diceris unquam.  
 Munera da linguæ, qui das in munere linguas.  
 Hæc iterata reor, confirmant præmia iustos.  
 Ut duo iussa colant tabulis conscripta duabus.  
 Dilige mente Deum feruenti plenus amore.  
 Rursus ait carus tibi sit quoq; proximus, ut tu.  
 Hoc pactum ius omne tenet, quod spiritus almus  
 Bis ueniens per corda creat semel hunc dedit autor  
 In terris, ut ametur homo, post missus ab astris.

Ut flagrent humana Deum, dilectio prima est,  
 Que dominum uehementer amet, cui deinde secūda est,  
 Que sociat mortale genus, tamen incipit ante  
 Posterior numero, sequitur comitata secundam  
 Que prior est, sic forma docet: nisi diligis, inquit,  
 Cernere quem potis es fratrem, quem cernere non es,  
 Nescis amare Deum, concordia nexa calefcāt.  
 Ergo pari uoto, dominumq; in pectore condat  
 Fratris amor, gemine sibi sit substantia cause.

Petrum cum Ioanne ad portam nomine Speciosam claudum quadraginta annos natū ex utero, sedentem, ac mendicantem respexisse, ac cum dixisset, Argentum & aurum non est mihi, quod autē habeo hoc tibi do, apprehensa manu uerbo eum curasse, claudūq; exilientem iuisse cum illis in templum, atq; ad Salomonis porticum accessisse.

Claudus erat cui prima dies exordia uitæ  
 Membrorum cum strage dedit languore coeuo  
 Octo lustra gerens, ad quem comitante Ioanne,  
 Respice Petrus ait, uotum spes lusit auarum.  
 Cumq; negat meliora parat, quàm sepe grauatōs



Desperata iuuant, & semine nata sinistro  
 Prosperitas, celans mœstis confinia leta  
 Principijs ad uota uenit, gaudebit egenus  
 Plus uacua meruisse manu, qui munera poscens  
 Est datus ipse sibi, nulla hic mihi uena metalli  
 Respondit, quæ fundat opes, ego ditior ægro  
 Pauper ero, progressus ubi de uoce iubentis  
 Exiit medicina potens, atq; hospite gressu  
 Cum uixere pedes, cunabula longa relinquens  
 Calcauit ueteranus humum, planctisq; nouellis  
 Materies se prisca mouet, cui præpete cursu  
 Protulit incessus quicquid non edidit ortus.  
 Stat facti manifesta fides, sed & altera nobis  
 Res aperit quod causa gerit, gens nomen ab illo  
 Israël dicta tenet, qui bella reliquerat æger  
 Conatus certare deo, tulit ipse figuram,  
 Corporis ante grauem, quàm post in uulnere mentis  
 Israël claudus habet, qui per sua crimina labens  
 Corde magis quàm carne fluit. spatijsq; sub ipsis  
 Quadraginta annos Aegypti sine remotus  
 Claudicat Aegyptum cupiens, idolaq; querens  
 Ponitur ad portam Speciosam debilis, ultra  
 Non ualet ire miser, nec limina tangere portæ  
 Culpa negauit iter, qui sunt qui pectore claudunt

Israël ferre solent, poëtæq; adiungere certant,  
 Quæ Speciosa suo prodit de nomine IESVM?  
 Isaias, Daniel, similes quiq; ore propheta  
 Obscuris manifesta canunt miracula Christi,  
 Porta ego sum uobis, qui per me intrare recusat,  
 Fur erit ille nocens possunt portare propheta  
 Ad portam cernenda magis, quam uisa loquentes,  
 In templum non ferre queunt, hæc ianua Petro  
 Credita, qui Christum confessus cognita monstrat,  
 Non uentura sonat, uetus ô sine fine iacebis  
 Ni Petrum iam claude roges, qui noxia pellens  
 Auri uitat onus: rerum cui censuit autor  
 Non peram gestare sibi, pete dona salutis.  
 Non fragiles secteris opes, quas spernere debet  
 Cum domino, qui diues erit post limina templi  
 Porticus hunc Salomonis habet, qui iure uocatur  
 Pacificus regnante fide, qui semper in orbe  
 Pacificus nisi Christus erit: hic protegit omnem  
 Qui Petro ductore placet, quo præfule surgit.

Iudeos conatos ne coleretur Christus  
 cuius munere claudus incolumis factus  
 est, cum iam ecclesia usque ad uirorum  
 quinque millia adaucta foret, & ne-  
 gasse Petrum eius laudes taciturnum,  
 qui

qui salute omnes donaret.

Agmine iam niueo per millia quinq; uirorum  
 Ecclesiæ crescebat apex, arcere laborat,  
 Hunc Iudæa coli, cuius de munere fluxit,  
 Quod uirtus operata dedit, sed linquere Christum  
 Petri nescit amor, non hunc reticebimus inquit,  
 Quo remeat præstante salus, qui iure creantis  
 Infectum suppleuit opus, solidumq; decorem  
 Pars reparat, qua iussa nouant, huic mēbra redemptor  
 Fert animus patrare nefas, sanctisq; uerendis  
 Sacrilegas inferre neces, ô semper iniqui  
 Dona uident, et bella mouent, sed coepta relinquunt,  
 Ne uiolent, quos turba fouet, quibus indice claudio  
 Testis erat meriti, cumq; hoc sua corda leuabant.  
 Nam non parua dedit populo miracula gressus,  
 Quem rudis atq; senex nullis iam legibus æui  
 Vernula sumpsit humi, cum quo stupet ipsa moueri  
 Que iacuit natura diu firmataq; nuper  
 Incessu proprio noua iam uestigia signat  
 Que fuerant aliena sibi, tamen improba proles  
 Sæuit adhuc, fariq; uetat quod gaudia clamant.  
 Quid toties Iudæa cadis? surrectio Christi  
 Ut furto cœletur emis, sed inania demens  
 A somno documenta petis liuore caduco,

Quæ sentis uirtute geri, ius fraude negari,  
 Infernum dominus cum destructurus adiret,  
 Detulit inde suam spoliato sumere carnem,  
 Victor ab arce crucis radiantia signa ministrat.  
 Sol ruit in tenebras, tu pectore nigra rebellas.  
 Arua tremunt concussa locis, tu fixior hæres,  
 Saxa crepant, tu dura manes, iam scissio ueli  
 Quæ latuere diu nudauit mystica templi.  
 Lux tua nos adiit, tecum nox sola remansit.  
 Mors sine fine premit, cui nunquam uita resurgit.  
 Planta uetus sociare nouis, & condere libris,  
 Ne pereas uiduata cibus, sine munere quorum  
 Arida ficus eris, nullo quia tempore fructum  
 Ad Christi uis ferre manum, neq; cernere quantum  
 Floruit infertus faciens oleaster oliuas.  
 Plenaq; pergentes de spinis pululat uua.  
 Imminet exhaustis radicibus ira securis,  
 Vt succisa ruas, ni iam translata uirescas.

Discipulos audito miraculo de claudio  
 curato à Simone Petro, & cum cogno-  
 uissent Iudæorum minas, hymnum ceci-  
 nisse commemorantes Herodis & Pila-  
 ti ingens scelus; postea concusso loco spi-  
 ritum sanctum aduenisse, pacemq; per  
 illos



illos deportatam in omnes terras exisse.

Postquam mira salus de corpore nata uetusto,  
 Discipulis audita liquet, gentisq; superbæ  
 Cognouere minas celebrant hijs uocibus hymnum,  
 Tu qui cuncta deus proprijs animata figuris  
 Artifici sermone facis, quiq; edita cernens  
 Ante uides, rerumq; creas per nomina formas.  
 Cum fierent, uox semen erat, nec distulit ortus  
 Imperium natura sequens, mox spiritus oris,  
 Aethera curuauit, sola nexuit, æquora fudit.  
 Materiemq; operis sola est largita uoluntas.  
 Ne deforme iugum similis portaret imago,  
 Tegmine seruili, latuit regnator olympi.  
 Ut sua gentiles implerent cœpta furores,  
 Quis dolus Herodis cum tristia bella moueret  
 Infantum mandata neci? quos ubere raptos  
 Vulnera suscipiunt paruis errantia membris  
 Vix habitura locum? seuoque iubente tyranno  
 Nasci pœna fuit. cuius tulit impetus æuum,  
 Quod nesciuit agi, qui perdidit, ô noua mortis  
 Conditio, solo uitam pro fine subire.  
 Et cum prima dies, atq; ultima sit simul una,  
 Posse magis quam scire mori, quis lumine sicco,  
 Aut gemitu cessante queat memorare Pilati,

Quod

Quod deflent elementa nefas? quo iudice Christus  
 Subdere pro mundi uoluit sua membra periclis,  
 Ut carnale malum caro solueret, & ferus hostis,  
 Cuius ab ingenio fluxerunt tela ueneni,  
 Perderet antiqui lachrymosa piacula belli,  
 Materia super ante pari, ne criminis ultra  
 Per sobolem prodiret onus, damnatio iusti  
 Libertas est facta reis. da semina uerbi  
 Per tua dona coli, signisque noualibus usa  
 Colligat ista manus te fructific ante maniplos,  
 De quibus ipse tui componas horrea coeli,  
 Triticeamque fidem lolio pereunte coronas,  
 Quam sancti fulsere pedes, concurrere uisa est  
 Pondere terra graui, moxque almus spiritus illis  
 Splenduit, & linguis facundia creuit ab ortis.  
 Auditæ ualere preces, humana propago,  
 Materies terrena sumus, limunque parentem  
 Nomine prodit homo, uis flexit, & impulit arua  
 Vocis apostolicæ, quæ de tellure creatos  
 Fecit habere fidem: sed quid magis? exilit unus,  
 Concutiturque locus, cecinit scriptura decoros  
 Pacem ferre pedes. Horum sub gressibus ergo  
 Leta mouetur humus, quibus est sermone magistri  
 Pax commissa pijs, quæ deportata per illos,

*Exiit in cunctas ueloci munere terras.*

Multis millibus in Christum credentium unum cor fuisse, & unam animam, nec dubitandum tres personas unum esse Deum, cum tot hominum millibus idem uelle, ac nolle fuisset: uendidisseq; agros, & reliqua bona, & pretium ad pedes Apostolorum cōtulisse Christianos erogandum pauperibus.

*Ecce tot egregijs unum cor esse cateruis  
Incipit, atq; animam populus nanciscitur unam.  
Quis dubitare queat mysteria dogmatis, unum  
Personas tres esse Deum? cum millia uulgi  
Conueniant sub mente pari, numenq; frequentis  
Sint animi uelut unus homo: quæ turba perennem  
Portatura crucem, Dominumq; secuta fidelem  
Spreuit agros: habitura polos: hæc nempe facultas  
Fortior est de patre magis conquirere totum,  
Atq; caducorum pensare manentia causis,  
Et questum per damna sequi: non prodige rerum  
Venditor ista facis, sed qui tua iura tenere  
Ambitiosè cupis, paruocq; in tempore linquis,  
Quod semper uis esse tuum, sic spargere rura,*

*Nolle*

Nolle carere fuit: quid enim substantia prodest,  
 Quæ seruata perit? quam sideris arce locatam  
 Commodius qui cedit, habet, pete creditor inde  
 Vsuræ maioris opem, gazasq; reconde,  
 Quo nequeant aduersa pati, non deterit ullus  
 Perpetuas ibi casus opes sine fine tenebis,  
 Quod Dominum debere facis. Nunc aspice partes  
 Lector docte pius, & tecum mente sagaci  
 Volue quid esse putes, rutili quia pompa metalli  
 Ponitur ante pedes sacris non tradita dextris  
 Destitui debere probant, quod tangere uitant,  
 Calcandumq; docent quod subdunt gressibus aurum,  
 De quo terrenæ ueniunt ad pectora curæ,  
 Consimili iactatur humo quo sistat auare,  
 Mens tua disce loco, quod tu custodis anhelus,  
 Quod statione premis, quod cernere sæpius ardes.  
 Cuius in amplexus per somnia cuncta recurris,  
 Horrescunt tractare pij, nec tunc quoq; gesciant  
 Cum bona facta parant, quantum speculantur in illo  
 Stare nefas, & dona gerens contemnitur aurum.  
 Ananiam fraudasse apostolos de a-  
 grorū pretio uxore conscia, et propterea  
 seuerè ambos pari pœna punitos: Dein-  
 de auaritiā esse malorū omniū caput.



Decidit infelix Ananias uulnere culpæ,  
 Fur census sub fraude sui: cadit impia coniunctæ  
 Supplitis percussa pari, quia crimine ab uno  
 Fit commune nefas quoties scelus ante peractum  
 Consensum facit esse suum: nam mentis auaræ  
 Vindex illa fuit sententia. Deniq; quando  
 Auri cessat amor, qui pectora semper adurit?  
 Quo capitur mortale genus, qua pullulat omne  
 De radice malum, cuius uiolentius ardet  
 Ambitio crescente modo: stimulantq; rapinis  
 Addita lucra fame: sed quod mutata uoluntas  
 Falsi crimen habet, cumq; est iam cautio uoti  
 Stare decet nec uelle prius uiolare sequenti  
 Ius proprium retinere magisquam demere fas est,  
 Omnibus exemplum sanxit uindicta duorum  
 Ne quis dona uocet, quæ sponsio debita poscit.  
 Respice uera fides, ac dogmate clara beati  
 Verba require Petri. Quis nam te fallere suasit?  
 Conclufitq; probans homines haud talia fando  
 Deludis mentite Deo, quæ damnat iniquos,  
 Aedificat doctrina pios: quod spiritus almus  
 Sit Deus ex multis plena instructio libris est,  
 Et tamen hinc capit arma fides, quo tenditis ultra,  
 Quis dubitet quod Petrus ait? qui iure uenitis

Ad latice, hoc state loco : satis hostibus obstat  
 Ecclesie, quod forma sonat diuisor amare  
 Iudicium de sine time, qui criminis autor,  
 Errorisq; tui est fusa ruit Arrius aluo  
 Infelix plus mente cadens, letumq; peremptus  
 Cum Iuda commune tulit : qui gutture pendens  
 Visceribus uacuatus obit : nec poena sequestrat  
 Quos par culpa ligat, qui maiestatis honori  
 Vulnus ab ore parant, hic prodidit, ille diremit  
 Sacrilega de uoce rei. Deus arbiter orbis  
 Personis tribus est, in quo simul una potestas,  
 Abstulit his species operum bonitate creatas,  
 Qui fabricatoris nō inspexere decorem,  
 Errantesq; putant, qui fecerit omnia factum.  
 Aegrotos omnes eo properasse, qua  
 Petrus ibat, ut sanarētur, et umbra trans-  
 euntis curatos.

Fama ciet populos ad mystica signa salutis,  
 E cunctis properare locis, & pestibus aegros  
 In lectis deferre suis, quos urbis in illa  
 Parte locant, qua sacra tenet uestigia Petrus.  
 O mihi si cursus facundior ora moueret.  
 Centenosq; daret uox ferrea lingua diserta  
 Hac in laude sonos, quantum speciosior esset

Ambitus eloquij uarijs aperire figuris  
 Singula, nec modicis includere grandia uerbis.  
 Quæ fuerit rerum facies, cum tempore paruo  
 Morborum cecidere greges, & fluxit ad omnes  
 Improuisa salus, quam corpore fusa sereno  
 Luminis umbra creat, dubiaq; à morte remoti  
 Erexere caput: sed nõ deprehendere uisu  
 Autorem potuere boni, quibus ardua uirtus  
 Occultat quàm præstat opem, resq; ante paratur,  
 Quàm spes ulla foret, furtiuâq; præmia uitæ  
 Dat medicina latens, & anhelis corporis æstus  
 Ignare languente rapit, quàm nescit adesse,  
 Qui uenisse probat, crescitq; potentia facti  
 Agnitione carens, cuius splendoris imago  
 Omnia peruolitans, tactuq; nocentia mundans,  
 Stat donis fugitiua oculis, & munere plenos  
 Linqvit ubiq; toros, hostesq; à sensibus atros  
 Projicit, ac nebulis larualibus exiit arius.  
 I citus, & curas hominum de calle frequentans  
 Excute Petre gradus: tecum medicina salutis  
 Ambulat: adde uiam: spes est ad gaudia uelox,  
 In pedibus non esse moram: tua semita uita est.  
 Si properas iam nemo iacet: tu motibus umbræ  
 Corpora cuncta leuas, atq; hoc simul inscia uoti

Sumit turba tacens : quod cum rogat accipit unus,  
 Qu'erite quos agitat tanti reuerentia facti,  
 Quid typij res ista ferat, librisq; uolutis  
 Noscite quod soli est concessa gloria Petro,  
 Quæ eue sub hac specie lateant documenta uidete,  
 Quæ tentabo loquens, & si datur ista facultas  
 Aridus ut magnas impellat riuulus undas.  
 Rursus ab antiquis ueniunt miracula causis.  
 Firmior in cunctis capitur substantia rerum  
 Corpore sensu suo, sequiturq; à corpore certo  
 Funditur, & solidam non terminat umbra figuram.  
 Sed tamen ipsa sibi præcedere corpore signat.  
 Ecclesiam terris colimus, quam prodere nulli  
 Aetheream dubitasse licet, sed uerior illa est.  
 Quæ super astra manens cœlestis & alta uocatur,  
 Hæc in transcursu dubij quæ cernitur orbis,  
 Ad uitæ datur esse uiam, spatioq; sub isto  
 Destinat æternæ quos colligit, atq; probatis.  
 Hinc, iter est excelsa sequi regit agmen utrumq;  
 Petrus, & hinc ductis sortis dat sydera turmis.  
 Ut patuit per uerba dei, quod solueris, inquit,  
 Quodq; ligas terris, sit uinctum siue solutum  
 Aethere perdurat, cuncta hæc quam cernimus aruis,  
 Ergo figura foret, firma est qua nubila gestant.



Petrus utrunq; regens, ibi corpus & hic parat umbram  
 Ut quos hic utiq; noxijsq; resolverit egros  
 Innocui ducantur ei, quæ permanet astris  
 Susceptura pijs hac emundante ceteruas.

Apostolos à Iudæis in carcerem, ne  
 prædicarent, coniectos, eos deniq; noctu  
 ab Angelo liberatos, & in templo mane  
 repertos.

Interea templi cælo mordente priores  
 Ecclesiã creuisse dolent, animæq; colonos  
 Ne spargant quod corde metant, in sede relegant  
 Carceris, ut desint nascenti surcula messi.  
 Angelus adueniens tenebrosa uolumina noctis  
 Reppulit, & subito micuerunt antra sereno.  
 Erumpensq; dies alieno tempore sanctos  
 Ad templum facit ire uiros, sed cardine fixo  
 Irrita signato custodia permanet antro,  
 Stansq; suis foribus uallante crepidine carcer  
 Clausus, apostolicis uestigia pandit aperta  
 Gressibus, & uigiles illudit ianua fallax.  
 O nunquam neglecta fides, cui subiacet illud,  
 Quod natura negat proprijs quàm legibus uti,  
 Non sine omnipotens quoties iubet ipse uicissim  
 Posse quod insolitum fieri, mirata perurget.

Si quis

Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,  
 Hinc documenta petat : quia tunc penetrata recepit  
 Ianua clausa deum : mirum est si corpore portam  
 Sic adeat, quem uirgo parit, quem uiscera matris  
 Integra concipiunt, humanam quæ rogo carnem  
 Sumere causa fuit, nisi suscitet ? inde reuersus  
 Exhibuit pro testa latus, nostriq; fauillas  
 Corporis exemplo proprij docet esse nouandas,  
 Vulneribus sua membra probans : modo Didyme discis  
 Quam fuerit dubitasse nefas : an fecerit autor  
 Quod nobis licuisse uides, si uoluere sensu  
 Cura subit quod Christus ait, non indiga uocis  
 Est species, cur has sancti liquere latebras.  
 Duxit opima parans hos lumen esse ministros,  
 Et candelabri positas uelut arce lucernas  
 In tota fulgere domo, nox nulla retentat  
 Quos lumen lux ipse uocat, qui dona ferentem  
 Et testem meruere Deum, qua lege cauernis  
 Occulerit locus ille suis tot in ordine soles,  
 De quibus ut tenebras pulsas erroribus orbis,  
 Vinceret, æternam meruit cognoscere lucem.

Septem diaconos ab Apostolis ele-  
 ctos, qui mensis populo ministrarent, ne  
 ipsi huiusmodi occuparent officijs, q̄s  
 uerbum

uerbum Dei prædicare oportebat.

Iura ministerij sacris altaribus aptis  
 In septē statuere uiris, quos undiq; lectos  
 Leuitas uocitare placet, quàm splendida cœpit  
 Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula uitæ  
 Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.  
 Hoc numero delatus honor sublimia secum  
 Sacramenta gerit, per quæ me longius ire  
 Non patitur mensura uix, ne plura locutus,  
 Inueniar dixisse minus, sit cura ministris  
 Officium librare suum, quo laudis amictu  
 Hunc doceat lucere chorum, quem mysticus ordo  
 Consecrat in numero, cui dant cœlestia formam,  
 Promissum seruabo modum uenerabilis orbi  
 Coetus ait: uerbi potius nos conuenit omnes  
 Quàm mensæ captare cibos: ô gloria diues  
 Oris apostolici, nunquam permittere plebem  
 Virtutum sentire famem, dispersa talenti  
 Crescere summa solet, commissa pecunia lingue  
 Displicuit cum sola fuit: locus indicat iste  
 Quod meliora rudi sint populo fercula mentis,  
 Quàm susæ per membra dapes, lauteq; peritum  
 Nutriat ingenium uerbi pinguedo superni.  
 Nam quid corporeæ prosunt alimenta saginæ

*Esuriente*

Esuriēte anima ? cuius ieiunia pasci  
Semper ab ore decet, mensam ut tendamus ad illam

Vberibus uerbis, ad quam conuiuia recumbit,

Qui uestis candore nitet, ut fulcra beata

Deserat abstractus quisquis deformis ad illam

Eloquio sordente uenit, seruat esca salutem

Progrediens de pane poli gula pectoris ipsum

Ambiat, atq; animi pleno gustare palato

Interior festinet homo, ne uilior esset

Causa relicta tamen claris tractando ministris

Creditur, & numerum tenuit preciosa supernum.

Stephanū protomartyrem cum lapidibus à Iudæis obrueretur orasse, ut illis parceretur. Vidisseq; cœlns apertos, & Christum ad dextrā Dei sedentem, atq; Iudæos, qui lapidabāt ad Sauli pedes uestimenta sua deposuisse.

Emicat hinc Stephanus, primus qui in agone coronant

Nominis hæres habet, de quo prænuntia palmæ.

Vox cecinit quod causa dedit : sere prælia martyr

Felices habitura neces, ubi gloria pœna est,

Et cadere est ortus, iugulisq; parentibus æuum

Nascitur, æternæ complectens munera uitæ,

Vitæ principium fuit en sine fine beatæ,



Sic meruisse mori: lapides Iudæa rebellis  
 In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro  
 Saxea semper eris: hunc deniq; Christum adoptat,  
 Ad quem miles ouans per uulnera sacra uocatus  
 Sanguine fecit iter, cupiensq; in præmia uictor  
 Hac properare uia niuci metitus honorem  
 Callis, ad excelsi pergit fastigia regis.  
 Et per tot lapides petraë coniungitur uni.  
 Quis furor iste nouus nulli feritate secundus?  
 Parcere nolle pio, uibrantibus acta lacertis  
 Saxa iacis: parat ille preces nec respicit unde  
 Grando nefanda cadat, qui tempore mortis amice  
 Pro populo peccante rogat: licet omnia tecum  
 Tela feras, silicesq; graues, et pondera libres  
 Quem perimis uicturus erit, qui sine colono  
 Seminat exemplum, quo surgit uinea Christi,  
 Et calicem domini conuiuia festa coronent.  
 Lumina cordis habens cælos conspexit apertos,  
 Ne lateat quod Christus agat, pro martyre surgit,  
 Quem tunc stare uidet confesio nostra sedentem  
 Cum soleat celebrare magis: caro uincta tonanti  
 In Stephano fauet ipsa sibi, dux præsciis armat,  
 Quos ad dona uocat: ne quis hic dimicet anceps,  
 Corpus in arce dei patuit pro munere testi.

Ad Sauli posuere pedes uelamina scui.  
 Infernum quod Hebræus ait. iam constat utrisq;  
 Hinc meritum sentire suum, cum sydera martyr,  
 Carnifices infirma petunt sors prima reuelat  
 Exemplumq; creat, quod talia bella gerenti  
 Hoc de fonte fluit : sic occidentibus ut mox  
 Tartara succedant, morientibus astra patefcant.

Petrū & Ioannem plurimos in Samaria  
 baptizasse, ihsq; affuisse spiritum sanctum.  
 Et Simonem magum pecunias obtulisse Petro,  
 ut idem & ipse facere posset, atq; ob id a Petro acriter obiurgatum.

Sæpe sibi socium Petrus facit esse Ioannem  
 Ecclesiæ, quia uirgo placet : quo deniq; iuncto  
 Samariæ uicina petens baptismatis undis  
 Ablutas signauit oues, quibus affuit almus  
 Spiritus, & uarias fecit procedere linguas.  
 Fonte quidem lotus, sed non in pectore mundus.  
 Hic fuerat Simo ille magus, quem prodidit orbi  
 Pœna sequens nescisse fidem : contractibus auri  
 Munera uult æquare Dei nummisq; referre  
 Quod pretio mercator emat, quem talia Petrus.  
 Attentare uidens, quis nam te perditæ dixit ?

Mquit ad ista furor? Domini quod gratia donat  
 Vt uenale putes: sensu hoc, non sumitur auro  
 Nec licet, ut cœlum corrupta pecunia quærat,  
 Quam terræ scrutator amat: tibi nulla profectò  
 Hac superest in sorte quies, nec ad ista uenire  
 Tu poteris pollute dolis, qui cordis amari  
 Felle tumens aliena petis: nanq; atria mentis  
 Spiritus illa subit, quæ simplicitate nitescunt  
 Hac de uoce sacræ lux est manifesta figuræ.  
 Ecclesiæ speciem præstabat machina quondam  
 Temporibus constructa Noë, quæ sola recepit  
 Omne genus, clausisq; ferens baptismatis instar,  
 Cum uaga letales pateretur turba procellas,  
 Ad uitam conuertit aquas: simul ipsa columbam.  
 Deluit & coruum, sed non concordia mentis  
 Fecit utrosq; pares, hunc guttura plena rapinæ  
 Subduxere uiæ, cupiensq; in funere pasci  
 Nil potuit uitali sequi: redit ales amica  
 Frugibus, & nullis succumbit naufraga lymphis  
 Nutriri de morte timens, studioq; laboris  
 Dat documenta pij: quanto teneatur amore  
 Plus operi deuota fides, rostriq; modesti  
 Pignus oliua fuit: dilectio semper in ore  
 Fructum pacis habet: uolitant in fluctibus ambo

Ex uno sanctoque sinu: seruantis in aluo  
 Purganti uallante freto, tamen exulat unus  
 Et reditu cessante perit: non ergo saluti  
 Sufficit unda lauans, nisi sit sine felle columba,  
 Qui generatur aquis, Simo hic baptismatis undam  
 Contigerat, sed coruus erat: sua lucra requirens,  
 Quæ nunquam meruere deum, qui limine templi  
 Vendentes arcere solet: meliora sequamur.  
 Petrus ad ista uocat, qui filius esse columbæ  
 Dicitur ore Dei: meritoq; hac matre creatus  
 Ecclesiæ sublimat opus: de munere prolis  
 Nomen habet genitrix: quod spiritus eligit almus  
 Alitis innocuæ dignatur imagine cerni.  
 Philippū ab angelo admonitum, ut Eu  
 nucho reginæ Aethiopum thesaurario  
 obuiam proficisceretur, ut eum baptiza  
 ret, & Eunuchum in flumine bapti-  
 zatum.

Angelus alloquitur plenum uirtute Philippum  
 Australem celerare uiam qua spado iugatis  
 Aethiopum pergebat equis: qui fidus in aula  
 Reginæ seruabat opes: uolat axe citato  
 Gaudia fixa petens, curruq; merebitur ipso  
 Errorū iactare rotas, ô quanta bonorum



Semina percipies, qui tam pretiosa lauacri  
 Sumere dona uenis, steriliq; in corpore condis,  
 Quod fructum meliore metas: impone Philippum  
 Lampadis os quod hebræus ait, qui mentis honorem  
 Nomine teste probat, iuuat hunc audire magistrum  
 Discipuli qui iura docet, dabit ipse propheta  
 De quo uerba sonant, quiq; omnia fecerit olim,  
 Qua fuerit nunc parte satus, si credulus audis,  
 Et tibi nascetur, tuq; inde renasceris illi.  
 Conspectis properatur aquis ardescere cœpit  
 Eunuchi foecunda fides, qui gurgite mersus  
 Deposuit serpentis onus, plaustroq; cucurrit  
 Helix meditatus iter: non parua figura  
 Causa sub obscuræ regionis imagine lucet,  
 Comprobat Heptaticus tædarum foedere Mosen  
 Aethiopem sociasse sibi, quem dogmata produnt  
 Postea cum Domino uicinius ore locutum,  
 Quid mirum si legis amor, tunc crescere cœpit  
 Ecclesiæ coniuncta fuit, quod sponsa perennis  
 Hac ueniat de gente magis: nec cantica cælant  
 Quæ fuscæ pulchramq; uocant. hæc pergit ab austro  
 Aethiopum qui torret humum Salomonis in ore  
 Pacificum laudare suum, quo nomine dudum  
 Signatum est quod Christus habet: iam debita mundo  
 Custodem

Custodem præmittit opum: quo pignore gazas  
 Incipiat proferre suas thesaurus in illa,  
 Quis potior quàm fontis honor? quod ditius aurum  
 Quàm locuples sub corde fides? quàm deniq; recte  
 Præuius huic spado est, quo procedente libido  
 Pellitur, & capiunt coelestia regna pudici.

Saulum cū se in Damascum conferret, ut Christianos persequeretur, obcæcatum à Domino, ac triduo post ab Anania iussu Domini baptizatum, & oculorum, & mentis donatum lumine, postea in sporta inclusum euasisse insidias Iudæorum.

Saulus acerba fremens committere bella Damasci  
 Iudaica feritate parat, sed amabitur agnus  
 Quo properat seuire lupus, fors leta ruinae est,  
 In qua culpa cadit didicit de corpore lapsò  
 In mentis iam stare gradu: cum lumina claudit,  
 Pectora tunc coeperit: coeliq; agnoscitur autor  
 Discedente die: quantum meruere tenebræ.  
 Post oculos matora uidet: mirabile seclis  
 Exemplum dedit alma fides. Anania furorem  
 Excudit ô noua palma, lupum domat ille rapacem  
 Hebraeus quem dixit ouem: clamabitur orbi,

Hoc præcone Deus, legisq; exutus ab umbra  
 Sub qua cæcus erat: terras lucebit in omnes  
 Perpetuo de sole calens: ne desine Saule  
 Hunc celebrare diem multorum lumine plena  
 Nox datur ista tibi: tuq; hic tua nubila portas  
 Ut mundi purgare queas, nunc plena figuris,  
 Interius documenta sequar: tectumq; latebris  
 Aggrediar proferre iubar, quod tempora Saulus  
 In tenebris triduana gerit: facit esse fidelem  
 Exempli mensura sui: tandemq; coactum  
 Pœna magistra docet: Dominum ne respuat ultra,  
 Post triduum superasse chaos: cum cœperit ipse  
 Sic uisus reparare suos: quod ab orbibus attris  
 Et squamæ cecidere graues, natura quod anguis  
 Ferre solet: ratione uiget: iudæa uenenum  
 Semper ab ore uomit crudelior aspide surda,  
 Perfidie coluber synagogæ sibilat antro,  
 Discipulis Saluator ait: calcabitis anguem,  
 Purior obsequijs ut sit cœlestibus aptus  
 Vipereum iacit ante nefas: & prælia doctor  
 Mox meliora gerit: qui cum superasset iniquas  
 Insidias, meruit clausis euadere sportis,  
 Sporta solet texti iuncis palmisq; uicissim  
 Tegmina dat Saulo retinens in ore figuram

Ecclesie, nam iuncus aquis, et palma coronis  
 Semper inest: iuuat ecclesiam baptismatis unda,  
 Martiriq; cruor: dudum uescente caterua  
 Nutriti sub dente cibi: distendere septem  
 Sportarum coepere sinus: tot in orbe profecto  
 Ecclesias scriptura canit: quod spiritus illic,  
 Sic operator adest: et signat nomina uirtus,  
 Cum tamen ecclesiam celebremus in omnibus unam.  
 Protegit ergo uirum species, cui militat ipse,  
 Vas in uase manens: atq; hac duce tutus ab hoste  
 Egreditur, cunctis doctor qui uincit in armis.

Petrum cum uideret sanctos ad Ly-  
 dam uenisse, atq; ibi Aeneam quendam  
 octo annis paralyticum curasse, credi-  
 disseq; in Christum qui aderant.

Peruigil excubijs commisi Petrus ouilis,  
 Postquam cuncta uidens, lustrauit in ordine sanctos,  
 Per Lydie tulit arua gradus, ubi moenibus astans  
 Respicit Aeneam defunctis uiuere membris.  
 Atq; anima nodis laxata mole solutis,  
 Non moriente mori, surgens paralytice dixit,  
 Vectorem compone tuum: ne credere tardes,  
 Offitium portare diu: quo munere uocis,  
 Stringitur insolidum, qui fluxerat antea neruis.



Tunc iterum formatus homo, longiq; cadauer  
 Temporis, extinctos ad uitam surrigit artus  
 Seq; leuans, uacui linquit monumenta cubilis,  
 Quod misero pars mortis erat: plebs cuncta per illam  
 Cœpit stare uiam: multisq; superuenit ampla  
 Vnius languore salus, tactoq; liquore  
 Expulit inclusi sua mox contagia morbi,  
 Fonte lauans animas, alieno robore firmat.  
 Eloquar hinc sacræ quæ sint arcana figuræ,  
 Si tibi corda mouet: cuius uox corpora reddit.  
 Octo quod annorum languoris proditur ætas,  
 Iure per hoc tempus membris defecit ademptis,  
 Antiqua sub lege iacens, iugulantia quippe  
 Vulnèra semper habent, quorum fit saucius infans  
 Octauo ueniente die, sanauit ab illa  
 Parte grauem, lacerumq; diu discrimine carnis,  
 In liquidis solidauit aquis: octauus ut ægrum  
 Solueret à plagis, extincti corporis annus,  
 Quo numero ueniente die: solenne resurgens,  
 Iam Christus sacravit opus, stat temporis usus,  
 Sed uoto meliore redux: hinc uulnèra serpunt  
 Hinc ablata ruunt: ibi subdit regula pœnis,  
 Hinc purgat medicina uadis, spatioq; priora  
 Dudum laxa neci stringuntur membra saluti,

Signatis etiam numero paralyticus annis  
 Ille iacebat iners, cui proxima mota Siloa  
 Heu nullas prestabat aquas: piscina ligata  
 Porticibus Iudæa fuit: nanq; atria quinq;  
 Ad sua claustra tenet per quinq; uolumina Mose  
 Legis adepta modum: cuius circumdata gyro  
 Debilis æternum uidit sine munere I E. S V M,  
 In libris ægrota suis, hinc eripit unum,  
 Qui ueniens peccata tulit, quàm rite figuram  
 Mundus ubiq; gerit, quem postquàm sabbata soluens  
 Impulit ad fontem, superauit gratia legem.  
 Petrus ad ecclesiam reuocat documenta magistri,  
 Cuius in orbe manu paralyticus exilit unus,  
 Et gradiente fides sua uincula proicit orbis  
 Petrum in Iope Tabitã, quæ & Dorcas  
 dicebatur ad uitã reuocasse, manuq; ap-  
 prehensam, egenis & pauperibus, qbus  
 suis opibus pie subuenerat, restituisse.  
 Te quoq; laude potens, cœlestibus inclyta signis  
 Carminibus Ioppe canimus: qua sede Tabita,  
 Mansuras fundebat opes, & semper egenis  
 Munere mater erat: quæ uitæ tempore clauso  
 Ponitur in medio lachrymis plus lota pheretro  
 Post funus uictura suum, fiducia Petrum

Euocat ille gerens diuini pignus amoris,  
 Ut nunquam pietate uacet quod uota requirunt,  
 Præstaturus adest lugentia tecta petenti,  
 Stant inopes, uiduiq; greges, & brachia monstrant  
 Exuuijs onerata suis, quas Dorcadis ipse  
 Texuerant, dederantq; manus: ô qualia feruens  
 Implorat fomenta dolor: non murmure tristi  
 Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant  
 Instrumenta precum, quicquid bona facta merentur  
 Offitijs uoluere loqui: uocisq; repulsam  
 Elegere suæ: lateant ne uulnera cordis,  
 Quæ lachrymis fecere uiam, facunda gementi  
 Materia est dixisse nihil, nimiumq; sonora  
 Causa petit quod lingua tacet, nec cessat ab aure  
 Clamosa pulsante fide, qua Petrus aditur,  
 Qui mentes audire solet, iubet ocyus omnes  
 Ire foras, flexoq; genu fit pronior aruis.  
 Tunc magis alta petens. Oratio fusa toranti  
 Mox super astra uolat, proprijs qui clauibus intrat.  
 Dic ubi sunt mundana tuæ sapientia legis?  
 Qua uirtute negas in se corrupta reuerti?  
 Quæ uitam de morte uides: ut munera Petrus  
 Sentit adesse Dei, quibus est reddenda saluti,  
 Quæ deserta iacet, futur conuersus ad illam,

Surge Tabita, uocata rediv: luciꝫ; reducta,  
 Se stupuit superesse sibi: quam protinus ipse  
 Prendit, & erectam: turbis gaudentibus offert.  
 Illa manus meruit Petri contingere dextram,  
 Pauperibus quæ larga fuit, qua uita reuertens  
 Cetera membra leuat, corpusq; itura per omnem,  
 Hanc subijt, quæ causa fuit: si iure mouemur  
 Instaurata dies animæ pater apta figuris.  
 Quam nimis antiqui depresserat umbra pericli,  
 Ad uocem conuersa Petri: caput ante grauatum  
 Legis in obscuræ gremio, uelut altera surgens  
 Ecclesia præfente leuat, tenebrasq; repellit  
 Lux operum comitata fidem, quæ legis ab ore  
 Non fuerat promissa salus: quia fonte renatis  
 Gratia perpetuæ cœpit dare munera uitæ.  
 Cornelio centurioni, quia pius esset, ac  
 bona sua pauperibus erogaret, ab Arge  
 lo nuntiatum esse accepturum certam  
 uirtutum suarum uitam monstrante Pe  
 tro, illumq; tres ad Petrum misisse, &  
 deinde salutaribus undis perfusum.

Cæsarea uenerandus erat Cornelius urbe  
 Gentili de stirpe satus, quem de dita causis  
 Vita pijs sacrauit aquis, cepitq; gerendo



Credere, qui gessit quicquid baptismata lotis  
 Consuevit præstare fides: nam missus ab astris  
 Angelus hunc adiens, summi in conspectibus inquit,  
 Stant domini: quas spargis opes: quæ uerba precaris  
 Præmia ne desint uirtutibus, accipe certam  
 Huc Petro ueniente uiam: sic uoce coruscans  
 Nuntius æternis fixit mandata lauacris.  
 Nona fuit tunc hora magis, qua rectius hora  
 Prodiret iam trina fides: quod tertia simplex  
 Hoc iterum ter trina docet, sacramq; figuram  
 Singula ter faciunt, & ter triplicata fatentur.  
 Hæc est nona petens oculos, quæ reddidit orbi  
 Post tenebras remeante die cum protulit ortum  
 De radijs lux nata Crucis, cunctosq; repleuit  
 Hoc sine fine iubar: nam mundum constat honestum  
 Gentibus esse locum, quibus in baptisate lotis  
 Plena repurgato fulserunt lumina mundo.  
 Hanc solet ille sequi denarius omnia donans,  
 Quæ præcepta decem seruantibus arbiter offert,  
 Nec finit ut tardos præcedant ære priores  
 Temporis huius opem, quam sacri fontis adiuit  
 Præuius ô utinam nostræ petat actio uitæ,  
 Mortalisq; sibi studium proponat origo,  
 Ut credentis amor rerum speculetur honorem,

Et ferat

Et ferat exemplum meritis, qui præbuit undis.

Iamq; capax fidei Cornelius indice uoto,

Ad Petrum tres ire iubet confessio trina,

Sic ueniet generantis aquæ numerumq; per ipsum

Petrum esurientem cœnaculum peti-  
tisse in meridie ardente sole, oblatoq; ei  
uase pleno omnis generis animalium re-  
spuisse cibum, et iussum esse, ut esset atq;  
ter illum audisse uocē ad salutem dictā.

Ardua progreditur cœnacula Petrus adire,

Iam medio torrente die, locus instruit altus

Despicensq; solum. Petrum cœlestia semper

Non terrena sequi: sextæ quoq; circulus horæ

Detegit ætatem, qua Christus uenit in orbem

Largiri saluantis opem, numerusq; dierum

Prætulit exemplum, quo condidit antea mundum,

Quem uetat hac ipsa ueniens ætate redemptor

Peccati ditione premi: sic deniq; sexta

Fertur ex illa geri: fessus de calle magister,

Cum putei super ora sedens, per uasa puellæ

Pocula querit aquæ: requiem facturus ubiq;

Ecclesiæ de fonte suæ: qua Petrus in hora

Esurit, ille sicut pius ad sua dona magister

Addere semper amans, cui nominis auxit honorem,

Dat pariter nutrire fidem, letabitur orbis

Hac saturante fame, quæ munere pinguior omni  
 Delitiosa fluit, nullumq; reliquit inanem  
 Perpetuas latura dapes, qui soluere nosti  
 Excute Petre meæ retinacula tarda loquæ,  
 Deq; tuis epulis exhaustæ porrige linguæ.  
 Clauiger athereus cælum conspexit apertum  
 Vfus honore suo, demittitur inde figura  
 Vasis: ut in terris sit uisio: corpore Petri  
 Omnia posse capi. qui quicquam sumit edendum  
 Ecclesiæ facit esse cibum: præfertur imago  
 Quatuor ordinibus se summittentibus una  
 Ecclesiæ forma est, quæ quatuor eminet orbis  
 Partibus, & laxat totidem præconibus ora.  
 Omne genus retinens uolucrum pecudumq; ferarum,  
 Reptiliumq; simul mortalibus ista coherent  
 Ex meritis, uitijq; suis: patet ergo quod autor  
 Iussit in ecclesiæ transfundi uiscera gentes  
 Macta & manduca, dum præcipit, abstrahere quod sunt  
 Et tibi fac similes, qui uertitur alter habetur.  
 Deniq; Saulus obit, quia Paulus uiuere coepit  
 Absit Petrus ait: quanta est reuerentia sanctæ  
 Legis, & esuriens oblatas respuit escas,  
 Ter sonuit Domini uox: quæ dictata saluti est  
 Hoc genitor, natusq; simul, sanctusq; peregit

Spiritus

Spiritus huic fidei pugnax cadit Arrius unum  
 Personas tris esse negans, Sabellius unum,  
 Sed patrem confessus ait, qui deinde uicissim  
 Filius & sanctus dicatur spiritus idem.  
 Sed totum sit ut ipse pater, quodq; ordine trino  
 Continet unus apex, hic diuidit, ille reliquit,  
 Victus uterq; iacet, nam iussio trina monentis  
 Personis numerum uirtutibus indicat unum,  
 Quo uocat imperio gentes, hoc credere fas est,  
 Si uolumus complere fidem facis omnia Christe  
 Sanguine munda tuo lateris, qui fluxit ab ictu  
 Discrete coniunctus aquæ, maculosus oberrat  
 Anguis & extinctum lymphis gemit esse uenenum.

Petrum Hebraicæ, agnoscentē sermo  
 nem, esse latine. Præterea accitum à Cor  
 nelio in illius domum eam sanctificatu  
 rum atq; perrexisse, & Cornelium bap  
 tizasse, nouū inde orbem caput erexisse.

Comperit accitus quæ sit sua uisio Petrus,  
 De merito qui nomen habet: nam Petrus hebræo  
 Agnosceus sermone sonat: pro munere Christus  
 Sic uocitare dedit, quo cognoscente patefcet,  
 Descendit uisurus eos, quos miserat illuc,  
 Qui laticum quæfitor erat, descendere Petrus



Dicitur ad plebem ueniens: gentemq; nouellam  
 Que nec diu cognorat aquas: pars mersa profecto est  
 Sacro fonte carens, cuius uia ducit euntes  
 Ad patrie melioris opem: qua pergere cessans  
 Non intrat quo uita uocat comitantibus iisdem  
 Cornelij properat: coelestia regna daturus  
 Sanctificare domum, genibus quem poplite flexo  
 Non finit aduolui: gratis dare munera suctus  
 Arcet honoris opus: caput hinc nouus erigit orbis  
 Qui percussus erat antiqui dente parentis,  
 Natalemq; tibi fons reddidit edite rursus  
 Ne preme colla tuis aliena libera culpis.  
 Ut primum fari sublimia dogmata Petrus  
 Cœpit, & æterni mysteria pandere Christi,  
 Magnanimes stupere uiri, uocemq; sequentes  
 Inuenere uiam: quid non credentibus offert  
 Indubitata fides: cui nunquam munerat tardant,  
 Nec faciunt diuina moram: mox spiritus almus  
 Indulgens uarias opulento munere linguas  
 Compleuit, sine more domum baptisma frequentat  
 Petrus, ut ablutos flammis, purgaret in undis.  
 Exemplo caret iste locus, quo spiritus almus  
 Præuenit quas sanxit aquas, qui talia semper  
 Addere dona solet, solisq; ex fonte renatis  
 Imposita properare manu: gerit ista uicissim,

Ne quis

Ne quisquam putet esse suum, meritisq; uenire,  
 Quod uariat qui sponte parat: nam spiritus almus  
 Nescia mensuræ fert præmia plusq; ministrans  
 Quàm sperantis erat: præcedit gratia uotum.

Petrum Hierosolymã reuectũ, ac in-  
 terrogatũ ab omnibus, unde esset salus  
 gentibus, & respondisse non licere ea de  
 negari, quæ dei bonitate uenirent.

Peruenit hinc abiens sublimem Petrus in urbem

Quæ retinet uexilla crucis: plebs cuncta requirit

Gentibus unde salus: aperit quibus omnia doctor

Subiungensq; monet: nunquàm fas esse negari

Quæ ueniunt bonitate dei: sententia uoce

Digna pij monstrare palam custodis amorem,

Vt uelit ad cunctos cœlestia regna patere,

Qui tenet has sine fine fores: quid turba querelis

Gaudia nostra teris? non sunt noua munera Petro

Persæpe assignata prius: cum nominis almi

Huic Christus dat laude frui: quem iura locauit

Ecclesiæ portare suæ, cum littore naues

Prospiciens astare duas, præcepta ministrans

In Petri uultu uelut uelut synagoga profecto

Sicca remansit humi: postquam doctrina magistri

Ecclesiæ dedit alta sequi, stat perfida terris

Iam pela-

Iam pelago corrente fide sua quippe figura  
 Hæsit utriq; rati. Ioseph Iudæa uocabat  
 Hunc natum cui Petrus ait: tu Christe probaris  
 Filius esse Dei, pars hæc desigitur aruis,  
 Quæ cecidit terrena sequens, processit in altum.  
 Quæ creuit diuina loquens: cum pisce sine ullo  
 In tenebris captura fuit: nam tempore lucis  
 Lux qui Christus adest, spoliat uada falsa draconis.  
 Ut cunctos ad littus agant sacra retia fontis,  
 Et de cærulei rapiantur fauce profundi.  
 Nam mare mundus erat, cuius de gurgite Petrus  
 Humida lina trahens, uerbo piscante carinam  
 Compleuit maiore sinu: quia turba duobus  
 E populis uentura foret, gentesq; leuauit,  
 Tunc famulante salo: plenaq; in pupe fatetur  
 Ecclesiam, cuius placida statione recondit,  
 Quod Domini sermone capit, qui dixerat ante  
 Esse alias, quas quærat oues, has nempe parabat,  
 Quas nunc rite uocat, per quas clementia Petri  
 Congregat æthereis humana peculia septis.  
 Non deerit sua fama locis. Petrus omnia prendens  
 Bethsaida satus urbe fuit, quæ nomine hebræo  
 Venatorum est dicta domus, quia uerus ab illa  
 Ecclesiæ uenator adest, qui cuncta peragrans

Clinxit, & ad fidei collegit retia gentes.

Angelum noctu in carcerem, ubi erat Petrus ingressum, & carcerem illico repletum lumine, iussisseq; angelum ut se sequeretur, & Petrum ruptis uinculis omnibusq; ianuis patentibus, secutum.

Claudatur obscuro, sed non sine lumine Petrus  
 Carcere, nec possunt tenebræ caligine furua  
 Ecclesiæ cælare diem: commune per omnes  
 Supplicium timor ille facit: custodia Petri  
 Publica pœna fuit, proprium sed pastor ouile  
 Seruato custo de regit, quem ditat honore  
 Ter dominum confessus amor, de nomine petræ  
 Nomen Petrus habens, æterna uocabula portat,  
 Fundamenta gerens nunquàm passura ruinas.  
 Expectare tuis, cunctoq; in tempore carus,  
 Et nobis iam Petre ueni, simul omnibus exi,  
 Quos stimulat nunc cura prior: iam nocte profunda  
 Angelus astra ferens ergastula candidus intrat  
 Se comitante die: cœli ueniente ministro  
 Carceris umbra fugit, pulsæ periere tenebræ  
 Lucifero radiante nouo: color exulat ater,  
 Et mutata uident nocturna crepuscula solem,  
 Custodum uallante manu: inter uincula Petro  
 Corpore



Corpore somnus erat, sed cum uigilaret in illo,  
 Quæ nescit dormire fides: hoc cantica clamant,  
 Dormio corde uigil, leti documenta figuræ  
 Discite, qui liquido meruistis fonte renasci,  
 Et quæ forma manet sacratio in corpore Petri,  
 Cernite corde pio: docet hanc uirtutis apertæ  
 Angelus ipse uiam, tangens, latus impulit, in qua  
 Ecclesiæ stat parte caput: qua nuncius ortam  
 Nouerat, inde leuat, lateri subnexuit arcæ  
 Hostia sancta: Noë clausis animalibus, hinc est  
 Diluuiio uastante salus, producitur Eua  
 Dormitante uiro lateris generata propago  
 Nomen habens uite, si nunquam culpa fuisset  
 Sic mansura magis, Christus post mysticus Adam  
 Dignatus dare membra cruci, atq; in carne perempta  
 Morte premi, qua uita redit, noua dona liquoris  
 Per lateris sacrauit iter, nunc Angelus illa  
 Petrum parte uocat, mens credat ut omnis in ipso  
 Ecclesiæ constare decus, tene atq; superno  
 Assertore fidem, quo calciamenta monente  
 Hi meruere pedes, tetigit quos dextra magistri,  
 Quæ totum mundauit aquis, gradientibus illis  
 Concluse cessere fores, putat omnia somno  
 Ludificante geri, cui præmia uera parauit

Maestas ignara doli, iam ferrea claustris  
 Porta patet, rigidi laxant sua uincula postes,  
 Gentibus abscindens durae feritatis acumen.  
 Aspera cuncta domat, ne ianua fixa uetaret  
 Orbis iter, quo cursus erit, dic gloria rerum,  
 Ferrea quid mirum si cedunt hostia Petro?  
 Quem Deus aetherae custodem deputat aulae  
 Ecclesiaeque suae faciens retinere cacumen,  
 Infernum superare iubet, mox liber ab hoste  
 Diuinum celebrauit opus, quem prima puella  
 A tenebris remeare probat, quia gratia Christi  
 Rem dedit esse parens usus adit ipse resurgens  
 Foemineos, loquitur redeuntis gloria carnis  
 Ad sextum, quem mater habet, patet hinc quoque uatem  
 Ecclesiam sensisse suum, quae gaudia portet  
 In cunctum diffusa gregem, quis talia fando  
 Explicet, aut uerbis attollat pondera rerum?  
 Maximus ille pauor gelidos qui strinxerat artus,  
 Leticiae mensura fuit, manet omne per aenum  
 Pignoris huius apex, & sideris obtinet instar  
 Corpore quod Petrus sacravit, & angelus ore  
 His solidata fides, his est tibi Roma cathenis  
 Perpetuata salus, harum circumdata nexu  
 Libera semper eris, quid enim non uincula praestant,

Que tetigit qui cuncta potest absolvere? cuius  
 Hæc inuicta manu uel religiosa triumpho  
 Mœnia nonnullo penitus quatiuntur ab hoste  
 Claudit iter bellis, qui portam pandit in astris

Finis primi libri Aratoris.

ARATORIS SVB  
 DIACONI ROMANAE ECCLESIAE  
 Cardinalis Apostolicæ historie .Li-  
 ber Secundus.

Paulum iubente spiritu sancto ab  
 Apostolis segregatum Paphum petiisse,  
 ibiq; obcæcato Mago, qui Paulo obfiste-  
 re conabatur proconsulem uiso miracu-  
 lo in Christum credidisse.



Spiritus accensam uerbo radiante  
 lucernam

Sub modio lucere uetans secer-  
 te Saulum

Dixit in oris opus, quem mox sa-  
 crauit euntem,

Imposita Petrus ille manu: cui sermo magistri  
 Omnia posse dedit, Cyprum, Salaminaq; liquens

Pergit

Pergit adire Paphum : quæ fertur amoribus olim  
 Dedita, sacrilegæ mansisse libidinis antrum.  
 Aligerosq; uagos studio coluisse procaci,  
 Hinc operum procedit apex, quia gratia maior  
 Ad delicta uenit, culpas huic posse remitti  
 Exemplum iam Paulus erat, quam splendida laudum  
 Materia est adiecta uiro: primordia casta  
 In luxus regione serit, fructusq; pudicos  
 Multiplicat lasciuus ager: cui nescia post hæc  
 Difficilisq; foret, cum sic uideatur, honestas  
 De turpi cœpisse loco, pars nequa uacaret  
 A meritis ieiuna, tamen molitur iniquus  
 Eloquio certare magus, contraria semper  
 Virtuti fecere uiam: taculata retorquens  
 Ecclesiæ bellator ait: fallacia monstrant  
 Quo pereas genitore satus, consinia mortis  
 In tenebris patiere tuis, neq; cernere solem  
 Tempus adusq; datur, rerumq; attendere formas  
 Artificem quibus esse negas: tunc nubila uultum  
 Cæruleis fixere notis, & pectoris atri  
 Venit in ora color: querit iam calle negato  
 Quo duce tutus eat: cuius pede gressibus instet  
 Quis tribuat miseratus opem, uacuasq; per auras  
 Erroris palpauit iter, proconsule Paulus



Mox didicit lucere fidem, cui causa uidendi  
 Nox aliena fuit, non sunt noua Paule salutis  
 Oſequia: è tenebris lucem bene surgere noſti,  
 Omnia ſecretam reſerant documenta figuram.  
 Si libeat uigili pulſare latentia ſenſu  
 Iure docens Paulus, miracula condere cœpit  
 Ex oculis, iubar unde ſui micat altius oris  
 Amiſſo crescente die, ſic nuper iniquum  
 Subdere dignus erat, tenebrisq; ſatentibus hoſtem  
 Vincere, qui cæcus meruit ſine fine uidere.

Paulum in Antiochiam profectũ, Iu-  
 dæorũ ſynagogam adieſſe, ibiq; cum dex-  
 tra ſilentium ſignificaffet, de figuris ue-  
 teris teſtamenti, & de Chriſti aduentu  
 ad Iudæos habuiſſe orationem, in qua  
 de egreſſu Iſraël de Aegypto, & de Ioan-  
 nis teſtimonio meminit.

Antiochi dictam de nomine uiſitat urbem  
 Paulus. Et extemplo properat dare uerba cateruis,  
 Quas ſynagoga tenet, dextraq; ſilentia mandans,  
 Noſtis ait: patribus tellus Aegyptia noſtris  
 Qua poſuit ſeritate iugum, crudelibus aruis,  
 Quos rapuit per ſigna Deus: quibus omnia cedens  
 Mutauit natura uices, cum uirga fugauit

Terga maris, fluctusq; suis stetit exul ab oris  
 Pulvereo de calla placens, pontiq; facultas  
 Obsequio est subiecta pedum, redeunte profundo  
 Naufragium factura reis, quæ uertere iussa  
 Per uarios sua iura modos, his strauit arenas,  
 His cumulauit aquas, iustis uia, fontibus unda.  
 Cum percussa silex uenis spumauit apertis,  
 Aequoreos emixa lacus, de uertice sicco  
 Flumineum largita uadum, non pristina morem  
 Gessit origo suum, ueterem nec præbuit usum,  
 Dona nouella ferens, quam lex æterna coëgit  
 Non innata sequi, disiuncta q; semina monstrat  
 Posse dari de rore dapes, de caute liquores.  
 Nam ne pauca pijs fluerent miracula causis,  
 Saxa uomunt latices, & inundant nubila panes,  
 Aëreusq; liquor solidis induruit escis,  
 Quæq; diu uacuas tenuerunt agmina fauces,  
 Frugiferis saturantur aquis, nimbiq; coloni  
 Dant epulas pluuiamq; uorant, & manditur imber.  
 Sic inuicta manus, sic gratia plena creantis,  
 Scit querulos nutrire greges, & ponere sacros  
 In patria meliore choros, ut uentris amœni  
 Fructus ad æternæ florescat semina uitæ.  
 Dauidica nam stirpe satus genitrice Maria

Christus adest, quem tota canunt oracula uatum  
 Venturum sub carne Deum, se seq; createm  
 Virgineos intrare sinus. Euoluite quicquid  
 Sabbata uestra tegunt, typicæ documenta figuræ  
 Perspicitis fulgere sacri præsepibus agni.  
 Cuius ab igne senes hausserunt dicta prophetæ,  
 Et dedit ante loqui quod cœpit postea nasci.  
 Clamauit uirtute potens Baptista Ioannes,  
 Non ego sum, post me ueniet: cui tangere non sume  
 Calciamenta pedum dignus: neq; soluere summam,  
 Quæ ligat excelsas humilis corigia plantas.  
 Quam bene uox Pauli cecinit præcepta lauacri  
 Permiscens antiqua nouis: nec epistola cessat  
 Hæc iterare docens: patres baptismate nostri  
 In rubro fulsere freto sub nomine Mosæ  
 Per legem, cum petra simul sequeretur euntes.  
 Nam petra Christus erat. Quid adhuc gens surda re-  
 In libris sonat ecce tuis: ne credere tardes. (quisist  
 Consule signa maris, quæ mystica dona susurrant  
 Temporibus uentura crucis, cum sanguine Iesus  
 Tinxit aquas, laterisq; uno de uulnere fluxit,  
 Quod uitæ tria dona daret: rubor equoris ille,  
 Causa futura fuit: sic conditor abluit omnes,  
 Sic emit, hic pretij color est in gurgite ponti,

Apparentq; in uado miracula debita ligno.

Paulum petiſſe iterum Iudæorum ſynagogam, ac de Chriſti paſſione, & reſurrectione prædicaffe, ſterilemq; & inanem appellaffe Iudæam, quodque ipſam noſſe deceret, gentibus lumen futurum.

Sæpius obſcuris radios infundere ſeruens  
Mentibus, hæc ruruſus memor auit in ordine Paulus.  
Poſtquàm ſigna Dei carnis uestitus amictu  
Chriſtus ubiq; dedit, faciens manifeſta, quod orbi  
Venerit ipſe ſalus: ſtimulis agitata furoris  
Impia turba fremens, petit hunc à iure Pilati  
Suspendi, ſigiq; cruci: terrena propago,  
Vota quod optanti non poſſunt omnia ferre,  
Sponte ſalutiferi ceſſerunt munera Chriſti,  
Qui libertatis pretium tibi uenit ab aſtris,  
Perdita reſtituens, tumuliſq; iacentia tollens,  
Reſpice quàm proprio maneat obnoxia regi,  
Ne pereas, uult ipſe mori: poſt triſtia facta  
Quinetiam cuſtode dato ſignare ſepulchrum  
Ad geminum uoluere nefas, dominoq; paratam  
Surgenti damnare uiam, pro cæca uoluntas,  
Que putat æternum mortali lege teneri,



Et non posse sibi post funera reddere membra,  
 Qui toties aliena leuat, miministis ab ore  
 Dauidicæ resonare lyre: corrupta uetabis  
 Sanctum nosse tuum: poterat ne puluere leti  
 Ferre moras? qui uita manet? quem suscitatur  
 Nil patiens de morte Deus: mors deniq; uicta est,  
 Vincendi transgressa modum, quæ iudice tacto  
 Linqere iussa reos, spolijs uacuata uetustis  
 Per sua bella cadit: ueniensq; absolvere uinctos  
 Non retinendus erat: fors ultima cœpit auerni  
 Iam uita præsentem mori, quæq; omnia subdens  
 Ante fuit, tunc ipsa perit, triduoq; peracto  
 Lucis iter quod fecit adit, quo tota resurgit  
 In Domino natura suo: de lege uidetis  
 Laxari non posse neces: hunc querite, cuius  
 Sanguine mundati regno sociamur herili  
 In cuius iam parte sumus, sub pignore carnis  
 Quam uoluit portare Deus: tunc dogmata quo dantur  
 Ecclesiæ dant ista uiros, uetuerem loquelas  
 Vltius proferre pias: ô semper inanis,  
 O sterilis Iudæa tibi: quæ semina uitas,  
 Ne fructus afferre queas, quibus ore magistro  
 Paulus ait: uos ista quidem: uos nosse deceret.  
 Ast alijs hoc lumen erit: nam scripta fatentur,

Lumen in extremis posui te gentibus esse.

Gentiles stupuere globi, fontemq; secuti

Sumere promissæ cupiunt nouitatis honorem,

Et lymphæ genitrice sati meruere renasci.

Compellor ratione loci pro munere tanto

Historiæ pulsare fidem: quæ prodidit olim

Cum populos, gentesq; duas in uentre Rebecca

Ferret, & angustis includeret agmina muris

Consuleretq; rogans oranti corde tonantem,

Responsum meruisse Dei: prior inquit in istis

Inferior, breuiorq; manet, maiorq; minori

Seruiet, & iuuenis palmæ potietur honore.

Quicquid in hoc utero sæcunda puerpera gessit,

Ecclesiæ conceptus habet, formamq; sequentem

Gentilis concursus agit, qui crescit in aluo,

In qua uictor erit, quod iam meminisse necesse est,

Et studijs celebrare bonis, famulemur ut illi,

Cuius ab affectu nos contigit ante uocari,

Quàm nasci, qui dona prius, quàm tempora præstat.

Paulum curasse in Lystra claudum ex

utero matris, quo uiso gentes sacrificare

illi uoluisse ut Deo, ac Paulum ob id sta-

tim scidisse uestem, & aperta prohi-

buisse ratione, nè sibi talia facerent,

quia

quī homo esset, non Deus.

Iamq; Lycæonios incedens passibus agros,  
 Līstram Paulus adit: fuit hac tunc claudus in urbe.  
 Supplicio comitante satus, uestigia ferre  
 Nescius ex utero: membri pars cœperat ægri  
 Se nascente mori: comperto dogmate Pauli  
 Quo monitore piæ tendunt ad sydera mentes,  
 Mox uoluit diuina sequi: bene claude iacebas,  
 Has primum graditure uias, petis æthera sensu  
 Cum nec dum mouearis humo pedibusq; negatis  
 Longius ire uales. Paulus speculatus in imo  
 Pectore quid caperet, claudiq; fidelis amo rem  
 In uerbo iam stare dei, sic clarius infit,  
 Surge citus, rectusq; tuis imponere plantis.  
 Exequitur præcepta salus, & calle nouello  
 Progreditur persona uetus, motuq; frequenti  
 Pulsat ubiq; solum, perq; omnia currere tentans,  
 Sepe timet quod nescit iter: modo gressibus ortus  
 Annofo langore senex: quod ut agmina cernunt.  
 Exclamant, diuumq; uocant, ac ferta ministrant,  
 Vt maſtanda feri procedit uictima tauri.  
 Paulus ad hæc, tunicam rumpit festinus, aperta  
 Sic prohibens ratione uiros, solennia nobis  
 Cur precor ista datis? fragili quos corpore constat  
 Terrena

Terrena sub lege premi, fuit impius olim  
 Religionis honor, cum numina fusca metallis,  
 Artifices timuere sui, cum templa dicarent  
 Abscis de rupe deis, tunc forte licebat,  
 Innocuos mactare greges, fibrasq; tepentes,  
 Consulere, & uocem pecudis morientis in exitis,  
 Querere: nunc libeat uanis cessantibus aris  
 Aeterno parere Deo, qui semina uitæ  
 Præbuit & uarijs prouentibus arua locauit,  
 Cuius ab imperio, plenis consurgit aristis  
 De grano moriente seges, palmesq; recisus  
 Vulnere conceptas fecundius educat uuas,  
 Quo moderante polum succedunt solibus imbres,  
 Tempora temporibus, quæ cum fugitiua recurrunt  
 Post sua terga, uagi constantia permanet anni.  
 Discite iam uerum sacra de uirgine natum  
 In terris celebrare Deum: nec uota feratis  
 Lanigero damnosa gregi, quos liberat agnus  
 Vnicus, ablutum, qui sanguine comparat orbem  
 His dictis instructa fides: sed corporis usus  
 In geminum processit opus, duplicemq; figuram  
 Personat una salus, toto quod in æquore mundi  
 Ecclesiæ duo sunt populi per uerba duorum  
 Cui plenas captura duas facit esse carinas,



Namq; hæc humano generi collata uicissim  
 Claudorum docuere pedes, quibus astat imago  
 Singula quæq; gerens: populo communis utriq;  
 Quem Petrus antiquis tribuit consurgere plantis,  
 Ad portam uicinus erat: gens uenit ab illo  
 Circumcisa loco, psalmi, lex, atq; prophetæ.  
 Cui Christi cecinere diem, quem Paulus ab aruis  
 Erigit, ad templi nunquam conserat ædes,  
 Longinqua tellure iacens: quia genti: us orsus  
 Cœpit ab ore pio solide uestigia mentis.  
 In turbas proferre rudes, populoq; mederi  
 Quem latuit uox prisca Dei, sic claudus uterq;  
 Cum properat genus omne leuat, gentisq; salutem  
 Personæ signauit iter, quæ gloria rerum  
 Contulit ut Petro Paulum gerat ordo secundum,  
 Qui fundamentis manet architectus in illis.  
 Ut tamen autoris memoremus ad omnia laudes.  
 Hij duo sunt cœci properantibus undiq; turbis,  
 Qui Domino dixere simul: fili optime Dauid  
 Da tenebras exire graues, da cernere lucem,  
 Quam nescimus a ihuc: subitum tunc illa medelæ  
 Semper amica manus iubar intulit, atq; reliquit  
 Nox oculos, exculq; dies illuminat orbis,  
 Expauitq; redux inopina crepuscula iusur.

Hos populos liquet esse duos, quos noxia uenæ  
 Cæcauit natura suæ, clementia IESV.  
 Cum celebravit iter, cum tempore carnis habere  
 Se uoluit, de luce nouat. purgatq; figuram,  
 Quam delicta dabant, moxque integra fulsit imago,  
 Que meruit sentire deum: pars iuncta cerebro  
 Maxima sunt oculi, creat hos in munere Christus,  
 Qui caput & splendor rerum est: pars omnibus ima  
 Sunt in fine pedes, hos sanat in aggere cura  
 Vocis apostolicæ: quoniam speciosa uocantur,  
 Que pacem cunctis portant uestigia terris.  
 Exortum est lumen tenebris, per dona magistri  
 Hij statuunt gressus, quibus est fors tradita uerbi,  
 Ut uigeat medicina sequens bonitate prioris,  
 Paulatimque salus in totum transeat orbem.

Persuasum Iudæis, ut baptizarentur,  
 ortam deinde fraudem, non oportere  
 quenquam baptizari, nisi circumcideretur  
 prius: & Paulum primū, ac deinde Pe-  
 trum non faciendum id amplius iussisse  
 cum amoto sanguine spiritus cor circum-  
 cidat in undis, post Christi aduentum.

Iam rabidas hominum Paulis superauerat iras

Velifican

Velificante fide, subitas uomuere procellas  
 Iudaica de nube doli, non primitus ulli  
 Posse lauacra dari, quàm circuncisio carnis  
 Accedat de lege Dei, gens dura quid ultra,  
 Ad lapides, ferrumq; uocas? hæc umbra figura  
 Non species mansura fuit, simulata relinque,  
 Quæ iam certa uides, Christi processit ab ore  
 Vita manens, omnes quæ iubet de fonte renasci,  
 Qui ueniunt cur membra secent? partemq; resoluant?  
 Cum totum saluare quæant ne quære uetusto  
 More premi nouitatis opem, deflexaq; retro  
 Lumina constitui, postquàm uia rector omnes  
 Dirigit, & cæsis illustrat sentibus orbem,  
 Lite sub ambigua Paulus loca tendit ad urbis,  
 Cui radiant monimenta Crucis, sanctosq; reuisit  
 Iuris apostolici proceres, quibus omnia præsens,  
 Quæ sunt gesta refert. Petrus cui maxima cura est  
 Commissos augere greges, ad pascua cunctos  
 Se duce læta uocans, has explicat ore loquelas.  
 Cernitis æternum seclis memorata uetustis,  
 Quæ populo docili cecinerunt ore propheta  
 In nobis complexse Deum? qui maluit emptor  
 Omnibus esse salus, nullum discernere passus  
 In pretio, quo uita reedit, mihi iussit apertam

Gentibus hanc monstrare uiam: quid uota morari  
 Tardariq; iuuat? quid uic hęc ænigmata prodest  
 Misceri cum luce noua? quos gratia purgat,  
 Ut ueniant, lex nulla uetat: coelestis amoris  
 Materia est festiua fides, hanc Christus adoptat,  
 Hanc facit esse suam, qua quisq; merebitur uti,  
 Circuncisus adest, & iure renascitur undis.  
 Pastorem statuere sequi: placet ergo ministros  
 Ire simul, scriptisq; pijs absoluere gentes.  
 Hoc illis non stare iugum: tamen esse cauendum.  
 Ne simulachra colant: quorum libamina semper  
 Execranda forent, ne suffocata cruore  
 Que maculant, ut edant, ne sæuior hoste libido  
 Hos impura præmat, quos lux baptisinate mundat,  
 Clarius ut liqueant huius documenta figuræ.  
 Et progressa prius cur iam discedat imago?  
 Principium meminisse iuuat: Deus inquit Habraam  
 Ut testamentum tibi nunc, soboliq; perenne  
 Constituas, in carne meum, præputia ferro  
 Circuncide libens, & fœdera nocte superna.  
 Secretam scrutemur opem, uideamus in isto  
 Vulnere pacta Dei, quæ testamenta recondit  
 Præscijs, ut terris consortia iungat olympi,  
 Que didicit iurare puer, qui primus ad undam



Repperit ecclesie: currentem fonte Rebeccam.  
 Corporis ille locus, quo circumciditur Abraam  
 Luxuriam lasciuus habet, uitijq; minister  
 Naturæ sub lege iacet, pater ipse futurus  
 Seminis unde salus ad uitam pullulat orbis,  
 Euacuat, quod culpa grauat: truncata libido  
 Virgineum promittit opus, hæc nanq; propago  
 Diuinum concepit iter, hinc sacra Maria est  
 Ad partum generata nouum, quæ coniugis experta  
 Mater inest, natusq; Dei de uirginis aluo  
 Emicat, atq; hominem mediator in omnia complet.  
 Hinc terrena leuans, illinc cœlestia præstans.  
 Præterit ergo uetus Christo nascente figura.  
 Hæc facies ius omne nouat, cultroq; fugato  
 Spiritus ardescens cor circumcidit in undis,  
 Qui sanantur aquis, ne figant uulnera membris.

Paulum à spiritu sancto prohibitum  
 in Asia & Mesia prædicare, in Macedo-  
 niam accessisse, quod Macedonem quen-  
 dam in somnis orantem uidisset, ut in  
 Macedoniam proficisci uellet euange-  
 lium prædicaturus, & sequenti luce pro-  
 fectum.

Nescius interea curis laxare quietem,

Paulus in orbe docet, uerbiq; ligonibus omnes  
 Excolit, & fidei cogit flauescere messem,  
 Errorum fugiente gelu, quem spiritus almus  
 Hæc Asia proferre uetat: nec Mæsia quiuit  
 Diues agris huius tunc semina ferre salutis  
 Fœcunda ieiuna solo: uir quippe Macedo  
 In somnis hæc uisus ait: miserere precamur  
 Illyricos dignare sinus: ô gratia quantum  
 Improuisa parat subito flammantur amore,  
 Qui positum iam tempus habent, sic nocte fugata  
 Doctiloquus conuertit iter, fructuq; loquelæ  
 Vesctitur esuriens Macedonia, perq; soporis  
 Dona salutiferam meruit comprehendere linguam.  
 Questio crebra sonat, si plenus munere lar go  
 Prædicat omnipotens, non ueni perdere mundum,  
 Sed saluare magis: faciat quæ causa negari,  
 Hæc alijs, alijsq; dari, cum prodiga Iesu  
 In commune uelit pietas succurrere cunctis,  
 Suppetit affatim exemplorum copia, nosq;  
 Lectio multiplicem docet hac in parte figuram,  
 De qua pauca canam, Luca narrante, relatum.  
 E populo quidam Christo comes ire rogabat,  
 Quem secum prodire uetat, qui deinde tacentem  
 Sponte uocat: nouit mundans interna magister,

Quæ uerbum iam corda ferant, quos obstruat intus  
 Error iniquus adhuc, ut tunc doctrina ministret  
 Officium, cum tuta uenit, en sancta, quod inquit,  
 Incipiant uiolare canes, cœnoq; grauati  
 In margaritas uertant contagia porci.  
 Altera res etiã superest in carmine dura,  
 Sed quibus ex ueteri patuerunt omnia forte,  
 Ore datas tenui facile est aduertere guttas.  
 Exodus ille liber memorat uelamina sacri  
 Pontificis, qua nempe queat splendescere ueste,  
 Officij; habitum nitido componere cultu.  
 Quis segmentatus medijs altaribus adstet,  
 Quas inter species parili numerantur amictu  
 In femore exuuiæ, quibus indumenta pudoris  
 Progrediens ad templa locet, siudeatq; sacerdos  
 Obstrictis renibus mysteria castus adire,  
 Quod statuit lex prisca, magis deuinctaq; iussit  
 Tunc hæc membra tegi, quæ possidet atra libido,  
 Cum properat libare Deo: laxata relinquens  
 Coniugio post sacra tantum, ne partior usus  
 Ad sobolis non staret opus, steriliq; marito  
 Connubij frigeret amor, cum certa propago  
 Hoc solenne gerens nullos admitteret unquam  
 Externa de stirpe uiros, ubi nomine prisco

Ex aditis per duret honor, prolesque per æuui  
 Sanctificanda redit, uicibus supplenda creandi.  
 Ecclesie nunc alma fides sine fine pudicos  
 Pontifices iubet esse suos, & querit in omni  
 Cauta tribu, quo rite probet nec sanguinis iste,  
 Sed meriti successor erit: tamen illa figura  
 Qua sine nulla uetus subsistit litera, demum  
 Hac melius nouitate manet, uariatque recurrens  
 Altera ratione uices, ne forte sacerdos  
 Tunc generare uelit, cum nedum mente capaces  
 Cernit adesse greges: cumque instat nobilis ardor,  
 Discendique fames, ut apertius ora resoluat,  
 Ne quisquam ieiunus eat: nam semine uerbi  
 Prolem posse dari, Paulus quoque sæpius inquit,  
 Filioli dicendo mei iuuat ergo parumper  
 Eloquium genitale premi, studiumque docentem  
 Dispensare suum, laxans pro tempore uires  
 Ingenij, strictasque ferens, ne fusa prophani  
 Conculcata terant, mundatis sancta reseruans  
 Fas uetat inde queri, culpis hoc imputet Adæ  
 Vene poena sue, quid enim rea fauce parentum  
 Progenies sibi iure petat? sator ille benignus  
 Ni donare uelit, quicquid temerarius error  
 Corrupto natale tulit: uia sola salutis



Affectus parcentis erit, miseratio semper  
 Conditione caret, præstans indebita Christus  
 His pius accelerat, iustusq; his munera tardat.

Paulum in Macedoniam à puella  
 Phœbade æterni dei ministrum esse po-  
 pulo clara uoce ostensum, ac diabolum,  
 qui in ea erat iussu apostoli fugatum,  
 & liberatam remansisse puellam: ob  
 idq; puellæ heros iratos, quod inde que-  
 stum caperent, concitasse plebem in apo-  
 stolum, & cæsum, ac in carcerem detru-  
 sum Paulum cum Sylla, noctuq; terre-  
 motu facto omnium uincula soluta & li-  
 beratos è carcere.

In Macedum terris cum moenia nota Philippi  
 Doctoris celebraret iter, bacchata puella  
 Sub stimulo Phythonis ait, Paulum esse ministrum  
 Aeterni scitote Dei: professio uera  
 Mendaci de teste sonat, uocemq; fidelem  
 Perfidus autor habet, sed non defertur honori  
 Quod cogit formido loqui, nec mente coheret  
 Nudus amore timor. Paulus miseratus ab atro  
 Damone corda premi, nolensq; licere prophano  
 Diuinis aperire uias, fuge dixit, & istam

Vltimus

Vltcrius tentare caue: nil iussa moratus  
 Hostis abest, uacuamq; domum professor iniquus  
 Deserit, ac profugo mulier sanata periclo  
 Conticuit de laude uiri, quæ cœpta peregit,  
 Plusquæ tacens hoc esse docet, de munere uulgi,  
 Hæc questum faciebat heris, quos turbidus implet,  
 Quo caret illa furor, populiq; procacis in aure  
 Seditioe fremunt, romanis obuia sacris  
 Sacra dari, ritusq; nouos exire per orbem,  
 Et ueteres cecidisse deos: tunc agmina raptim  
 Fustibus innumeris, eliso corpore Pauli,  
 Conueniunt, ubi carcer erat, quem sedibus imis  
 Includunt comitante Sylâ, uestigia quorum  
 Ligno mersa cauo uinclis tenuere beatis.  
 O felix de clade locus, cui clara refulgent  
 Lumina pro tenebris, in quo dedit esse perennem  
 Nox antiqua diem, niueam translatus in aulam  
 Ecclesiæ, cunctisq; ferens modo dona salutis,  
 Quàm bene carcer erat, tota concutitur urbe,  
 Qui primus noua tecta petat, quiue oscula figat  
 Postibus, & tacta sacretur parte chylindri.  
 Iam nocturna quies, per corpora serpere fessa  
 Cœperat, & exiliit tellus imitata ruinam  
 Visceribus concussa suis, & claustra relaxans

Mota uagatur humus, seruitq; canentibus hymnum  
 Tempestas famulata soli: proh quanta patefcis  
 A nullo superanda fides, ueniente periclo  
 Pœna fugit, geminoq; metu discrimina crescunt,  
 Vt perdant tormenta lucum: tremefactus ab alto  
 Excutiens sua membra toro, cum libera custos  
 Cerneret antra necis, gladij mucrone relecto  
 In iugulum uult ferre manum, sed non licet illi  
 Paulo teste mori, cuius solamine uitam  
 Repperit, atq; suo meruit de carcere solui,  
 Descendensq; domum sacris fomenta ministrat  
 Vulneribus, liquidamq; parat sibi redditus undam,  
 Coelestem tacturus aquam: nam corde saluti  
 Figere Paulus amans, cunctos simul amne fluenti  
 Diluit ætherei, patuit cui luminis ante  
 Gratia non perimi, creuit post uita renasci  
 Blandiloquis olim capta est sermonibus Eua  
 Deceptura uirum, nunc improbus ora puellæ,  
 Qui tunc demon agit, repetens ad crimina sexum.  
 De quo præda fuit, multis uenturaq; canendo,  
 Peccati conceptor erat: sed apostolus Adam  
 Iam melior coeleste leuans in imagine signum.  
 Qui fuerat terrenus homo, nec certa recepit.  
 Nam fallit quod ab hoste uenit: metuamus ut omnes

Hoc audire nefas, nec corrumpamur amari

Melle doli, si uera canat, qui falsa ministrat.

Paulum Athenas profectum, & à plebe uerborum seminatore ibi appellatum, cum Epicureis et Stoicis, alijsq; philosophis disputasse: hinc ad urbis primates ductum, eorum uanos esse Deos demonstrasse, & in die iudicij duros omnes dignas poenas, nisi in Christum, quem ipse prædicabat esse filium Dei, crederent.

Ingenijs claras & linguis Paulus Athenas

Ingreditur, tumidamq; feris conflictibus urbem

Eloquio torrente premit, quem turba profari

Doctifonis mirata modis: quibus inquit ab oris

Verborum fluit iste sator? plebs nescia Paulum

Semina ferre uocat, fruiturq; errore magistro

Vera loquens: nanq; hic facundus in ore uiator

Ambulat, atq; colit, cuius labor omnibus instat,

Vt crescat diuinus ager, purgataq; fructum

Mens humana ferat, lolij ne sordeat herbis,

Quam segetes portare decet manus æmula cogit,

Ad proceres hunc ire simul, quibus edidit astans.

Cecropiæ, quos fama canit sermone deserto



Gymnasijs uernare suis, ubi præsidet altus  
 Sacrilegæ nouitatis amor, uos cernimus aram  
 Ignoto posuisse deo, qui condidit astra,  
 Qui Pelagus, terrasq; dedit, quem uita parentem  
 Ut moueamur, habet, cuius spiramus ab igne,  
 Cuius imago sumus, de quo cecinere poëta,  
 Hinc hominum constare genus, quem prædico cuncta  
 Sanxit ab ore suo: cur hæc diuina uocatis,  
 Quæ facitis, uacuoq; metu cœleste putatis.  
 Auxilium? quod gignit humus, natura metalli  
 Visceribus iacet ima soli, quibus eruta sumet  
 Ingenij fabricantis opem, seu numina templis  
 Hinc ueniant, seu uasa focis sibi causa timoris  
 Ars operata deos: Dominum super omnia fusum  
 Claudere nemo potest, paruisq; arctare figuris.  
 Quod capitur minus est spatio capientis, in auro  
 Materia est: opifex rerum non sustinet usum,  
 Quem simulant, quos ipse creat: quàm dura luetis  
 Crimina, quàm stultam sese sapientia uestra  
 Iudicij est sensura die, cum corpora Christus  
 Surgere cuncta iubet, tormentaq; sine carebunt,  
 Utq; reos cruciet, seruet quos deuoret ignis.  
 Sic caro iuncta deo carnales expiat actus,  
 Et commissa sibi coram: hac examinat ultor,

Qua uoluit moriente pati, quam funeris expers  
 Viuificare uolens, post tartara reddidit astris,  
 Hec multos ad dona uocant. Dionysius ipse  
 Primus in arce soli noua premia iungit honori,  
 Complexusq; fidem sic incipit esse sophista.  
 Olype Paule rapax, dedit hoc benedictio Iacob  
 Nomen habere tibi: quid iam remanebit in orbe,  
 Quod non ore trahas? postquam solertia Graia  
 Cessit, & inuictas in dogmate uincis Athenas.  
 Cur Epicureus, uel Stoicus impia soli  
 Bella cient? referare opus est: quo nomine multi  
 Sectarum coiere greges, uitam ambo beatam  
 Elegere sequi, quam corpore diligit alter.  
 Hic animi uirtute colit: dat & actio Pauli  
 Ad uitam praecipua piam: sic themate iuncto  
 Hi magis alternis soluerunt uocibus ora.  
 Corporis, atq; animae commissus partibus extat  
 Plenus homo, sed nunc studijs diuersa sequentes  
 Ambo uolunt, quod neuter habet: uas lumine plenum  
 Subdit utrunq; Deo: uideo clamans, caro menti  
 Quam sit iniqua mea, rursusq; salubriter infit,  
 Non propria de parte geri, quod gratia donat,  
 Hoc celebremus iter, uita quia Christus, & ipse  
 Se uocat esse uiam, per se gradiamur ut ad se.

Sanctaq; ne pedibus possit cessare lucerna.

Preco datus fidei uestigia suggerit orbi.

Paulum petisse Corinthum populo-  
sam urbem, in qua tunc Ponticus quidam  
Aquila nomine erat præceptor, hospiti-  
temq; eius factum. Item Christum iussisse  
Paulo, ut in ea urbe prædicaret, & Chris-  
tianos factos Corinthios.

Attica discedens iam liquerat agmina Paulus  
Eloquijs superata pijs, bimarisque Corinthi  
Mœnia iuncta petens populosam repperit urbem,  
Quæ licet alterni contingeret æquoris undas,  
Perpetuas sitiebat aquas, ibi Ponticus ille  
Aquila tunc præceptor erat, uir plurima laudis  
Instrumenta gerens, cuius se Paulus amico  
Contulit hospitio, sociam dignatus adire  
Artis amore domum: nam scenifactor uterq;  
Pollebant operis studijs, & dogmate legis.  
Christus ait: nunc Paule doce, non obuiat ullus  
Me comitante tibi, quæ sit mihi mœnibus istis  
Turba fides, insiste loquens, ego pectora firmo,  
Ista monent nullos unquam de munere tardo  
Posse queri gratis, quod dat clementia Christi.  
Tecta sub ambiguo lateat ne forte figura,

Qua dabitur ratione canam, de nomine sepe  
 Argumenta trahi, documentaq; maxima gigni  
 Scripturæ cecinere piæ: iuuat altius ergo  
 Querere, qui Paulo charus coniungitur hospes  
 Factus in arte comes, sub cuius imagine cause  
 Sic uocitatus erat, qualiue decorus honore est,  
 Hac quoq; parte placens: aquilæ natura fidelis  
 Sponte gerit, quod forma tenet: nam debilis eua  
 Et declinatis senio iam uisibus ales  
 Flammiuomo sub sole iacet, pennasq; grauatas  
 Eius in igne fouet, nocturnaq; lumina pandit,  
 Atq; oculos radijs ardentibus ingerit egros  
 Ad ueterem reditura diem, sic dona caloris  
 Languida sumit auis, cuius de fomite uires  
 Accipit, & prisci reparat dispendia secli  
 Cui ne sola forent, quæ feruidus incutit æstus  
 Per laticum purganda uadum, ter mergitur undis,  
 Et senium deponit aquis, iuuenemq; decoris  
 Effigiem de fonte leuat: quis apertior actus  
 Religionis erit, cum ueri lumine solis  
 Tangimur, antiqui contagia soluimus æui  
 Accedente fide: lymphæ mox matre renati  
 Conspicimur nouitate rudes: infantia rursus  
 Fit recidua sæui, gemino manantibus ortu



Hic melior natalis adest, bene conscius huius  
Alitis exemplo, quem spiritus egit opinam  
In cythara uersare manum, renouaberis inquit  
More aquile, qua lege datur sentire, probatis  
Laude placere typi, quod firmant cantica iusti.  
Nec uacaturas Pauli socio celebrata sub ipso  
Secreti uirtute boni, tentoria quippe  
Fortia mobilibus fabricabat in aggere tectis,  
Longius hæc abiens peregrinus ubiq; uiator  
Erigit, atq; hyemes, solesq; his pellibus arcet.  
Nos quoq; per culpam prima de sede repulsi  
Exilio mundi iacimur, uia reddita tandem est  
Qua patriæ repetamus iter, munimina nobis  
In castris sint Paule tuis, nec criminis imbres  
Tempestas mundana ferat, scelerumq; uapores  
Ignitus tentator agat, sub tegmine tali  
Tuta salus nullum discriminis excipit ictum,  
Nec prostrata feri succumbit uiribus hostis.  
Mystica signa duces præmittunt laudibus arteis.  
Pisces Petrus agens, homines capit, æquoris hospes  
In sacris persistit aquis, habitacula Paulus  
Dum terrena leuat docet, ut cœlestia condat.  
Factaq; sepe manu, nunc construit atria uerbis.

Paulum iuisse Ephesum, quosdamq;  
 à Ioanne baptizatos iterum sacris ablu-  
 isse aquis, quod expertes forent nominis  
 spiritus sancti: ac statim eo repletos.

Uteriora sequens lustratis sinibus arua  
 Conueniens Ephesum Paulus docet, atq; ibi quosdam  
 Prospiciens astare uiros, an spiritus almus  
 Venerit his quæsitò ait, qui fonte Ioannis  
 Se dudum maduisse ferunt: nam nominis huius  
 Expertes hucusq; trahi, quos flumine sacro  
 Abluit, et sanctus mox spiritus ora repleuit  
 Verborumq; dedit solitis uirtutibus imbrem.  
 Sæpius arma mouent ista de parte prophani,  
 Et bellare parant, quibus ut contraria possim  
 Fundere tela loquens: tu nunc mihi largius ora  
 Spiritus alme riga, sint ut tibi dogmata digna  
 Que dederis, tu uocis iter, tu semita lingue,  
 Tu dicture ueni, qui per tua munera semper  
 Quod reddamus agis, doniq; resuscipis usum.  
 Nomine uenturi præcursor in orbe Ioannes,  
 Exhibuit baptisma suum, Dominoq; parauit  
 Ipse uiam, memorans cunctis baptisma futurum,  
 Post aliud quod iure datur, quod trina potestas  
 Illustrare solet: sed quod magis eligit huius,

Tangere

Tangere Christus aquas formam facit omnibus ad se  
 Currere fonte pio : sacram ne deserat undam  
 Vltius mortale genus, quàm corpore mundo  
 Et Dominus dignatus erat, cum deluit amnem  
 Per famulum mergente Deo, iam flumine tacto  
 Discipulis hoc cessit opus, quos dogmate plures  
 Baptizasse canunt : serui cessare lauacrum  
 Fas fuerat ueniente Dei prænunciis, ex quo  
 Dixerat ista prius quo tempore fecit Iesus  
 Iam plenum baptisma geri : uelut ante Ioannes  
 Cur solitum propriumq; daret ? quæ regula Paulum  
 Compulit ut Christi deberent fonte renasci,  
 Quem non uenturum, sed iam uenisse Ioannes  
 Insinuans, digito, cœlestem prodidit agnum  
 Hunc peccata canens à cuncto tollere mundo.  
 Quid geminum baptisma cupis simulare prophane ?  
 Dissona non iterant, repetitio rem tenet ipsam  
 Non aliam, bisq; illa foret quæ primitus esse  
 Cœpit, & ipsa redit : nam cum discordet origo  
 Principij, finisq; sequens, & singula dici  
 Et patet esse semel, nulloq; errore grauantur,  
 Quæ collata simul possunt diuisa probari.  
 Cum tamen hæretica nigredine plenus auerni  
 Polluitur quicumq; lacu, si lumen habere

Ecclesie uult forte pie, non cogit ad undam  
 Nostra fides hunc ire iterum: quia nomine trino  
 Dogmata praua trahunt, nec qui, sed quid dare possint  
 Explorare solet, positæ quem uera fateri  
 Instituere manus, solusq; repellitur error  
 In diuersa trahens, quod spiritus efficit unum,  
 Hos etiam bis sex memorat scriptura fuisse.  
 O sacer & felix numeri modus, agmine fuso  
 Cum meruere cibi damnorum semine nasci  
 iuris apostolici, lata est tot gloria uasis.

Paulum urbem Ephesum ad Christum  
 conuertisse, atq; eius ueste falsa per ægro-  
 tantium artus curatos morbos, & dæ-  
 monas eadem uirtute fugatos. Septem  
 item Iudæos tentasse curare dæmonia-  
 cum quendā in nomine Iesu, quem Pau-  
 lus prædicabat, & lacerasse diabolum il-  
 lis uestes, et faciem dissecuisse, ita ut nudi  
 & uicti fugerent: magnificatumq; ob id  
 in tota urbe nomen Iesu, & sacris undis  
 omnes perfusos.

Iam sermone potens, Ephesi conuerterat urbem  
 Paulus, et ætheris fulgebat gloria signis.  
 Cumq; per innumeros mutarent saucia morbos  
 Corpora



Corpora, nec miseros operata reficeret ægros  
 Artificum medicina manu, uelamina sacra  
 Absentes petiere sibi, quibus affuit ardens,  
 Ut caderet uapor ille, fides, finemq; calori  
 Altera flamma daret, semicinctia deniq; Pauli,  
 Atq; oblata palam sudaria fusa per artus  
 Langorum pressere focos, membrisq; reposte  
 Ad nihilum fluxere lues: uigor omnia curans  
 Tactus erat, nullæq; domus à munere cessant,  
 Quod medica de ueste ferunt: uirtute sub ipsa  
 Spiritum quoq; turba minax, uelut irrita fumi  
 Pars per inane fugit, ne fabrica pulchra creantis,  
 Quæ plasmata solo cœlestis imaginis instar  
 Traxit, & autoris speciem pro pignore gestat.  
 Hospite sit polluta suo, templumq; decoris  
 Inficiat prædonis odor, quo tempore septem  
 Iudaica de stirpe uiri noua prælia tentant.  
 Sic prius affati, quem Paulus nomine Iesum  
 Prædicat, hunc tibimet pariter præponimus & nos,  
 Peruasum dimitte locum: uox reddita contra.  
 Qui sit Christus ait, qui Paulus, sentio, nam uos  
 Ignotos uitare licet: cognosce furorem  
 Gens inimica tuum, demon regnare fatetur,  
 Quem uenisse negas, atq; hoc conuinceris ipso,

Quo stimulante ruis, cui non datur ore placere,  
 Quod terrore mouet, contraria dicere uoto  
 Causa Dei prohibet, quàm lex comitatur amoris.  
 Hec est uera fides, quæ tunc spectacula plebi,  
 Quàm uè triumphalem Domino uincente coronam  
 Contigit inde geri? rabido cum murmure frendens  
 Dæmonis ira suis bene noxia rumpit amictus.  
 Diffecat & fâcies, fugiuntq; pericula uicti,  
 Nudâq; præcipiti conuertunt terga pauore.  
 Quid Iudæa ferox iam non de clade timebis?  
 Quæ socio sic hoste peris, cui criminis autor  
 Punitorq; idem est: ne sit te iudice pulsus,  
 Qua simul est peccante reus: mox fama per urbem  
 Sparsit ubiq; uolans, & dæmonis ædere uocem.  
 Quod uirtus est summa Dei: concurrere gaudent,  
 In latices intrare pios, maculasq; uetustas  
 Fonte lauare nouo, sanctisq; nitescere lymphis  
 E quibus una datur, simul insons omnibus ætas.  
 Ast alij magicis ponunt incendia libris,  
 Ut mereantur aquas, & uitant ignibus ignes.  
 Ardua flamma nimis, cuius super æthera fulgor  
 Euolat, & coelum tales petiere fauille.  
 Quinquaginta etiam pretium posuere libellis

Milia numerorum, quoniam meruere nocentes  
 Sic abolere nefas : huius hæc causa figura est,  
 Lege sacer numerus delicta resoluit, ut olim  
 Deluit in toto David sua crimina psalmo,  
 Contractusq; fugat : nam quinquagesimus annus,  
 Cum iubilæus adest, proprij distractio ruris  
 Antiquo donatur hero, seruire coactus  
 Libertas amissa petit, mala debita laxat  
 Creditor, & lumen patriæ uetus aspicit exul.  
 Quinquaginta etiam cubitis distenditur arcus,  
 Quæ depressa uadis, atq; equore tuta salutem  
 Sub numero pietatis agit, seruataque crescit  
 Per spaciij parcentis opem : quia Christus ubiq;  
 Condidit ecclesiam uenia fabricante capaxem,  
 Quæ sic coepta fretis latissima funditur aruis.

Demetrium statuarium Ephesi sedi-  
 tionem concitasse, quod dixisset Diana  
 Ephesiæ templum toto orbe celebratum  
 ruiturum, & cæterorum deorum existi-  
 mationem nisi dijs suis consulere, a-  
 missum iri Pauli exhortationibus, &  
 concursum ab omnibus in theatrum, &  
 temere sedatum tumultum,

Infelix Ephesi Demetrius arte locabat  
 Sacrilegis delubra locis, argentea suetus  
 Soluere uota suæ pretio maiore Dianæ,  
 Cedere cuncta uidens prisca monumenta furoris  
 Ingemit, & uanas his uocibus excitat iras.  
 Non pudet ô socij nostram ceci disse Dianam,  
 Quam mundi suspexit honor? mortalibus ultra  
 Quæ speranda salus, si non per secula possunt  
 Fine carere dij? quæ nunc simulacra sacellis?  
 Quæ poterunt dare thura focis? quos aduena Paulus  
 Territat, & quicquid gerimus pro nomine diuum,  
 Muta metalla uocat, quorum discedit ab orbe  
 Religio, pulsique fugam petiere poenates.  
 Hei mihi iam uideo subitis lapsura ruinis  
 Condita sana diu, templi quoque nobilis ædem  
 In cineres, stragemque dari, quam prendimus arcem,  
 Quam uic tenemus opem? quibus interclusa facultas  
 Est operum, crimenque forte fecisse Dianam?  
 Pergite, tempus adest, labor ultimus omnia secum  
 Si desperet habet, sola est uia uincere uictis.  
 Formidare nihil, restat fors certa triumphi  
 Pro superis mouisse manus, insurgite telis,  
 Et quam uota deam celebrent, hanc arma reposcant.  
 His dictis plebs mota fremit, magnamque Dianam



Communi clamore uocat, ac præpete cursu  
 Itur in obscœnum cum seditione theatrum.  
 Non alio decuit causas, meritumq; Dianæ  
 Lasciuo tractare foro: capit area turpis  
 Concilij deformis opus: tamen impetus amens,  
 Fluxit, ut in uacuas oculis qui labitur auras  
 Nullaq; dispersus retinet uestigia fumus.  
 O miseranda manus, cui tu præstare laboras,  
 Perpetuam cur esse putas? te teste sacellis  
 Eriatur fugitiua suis, quo iure pauescis,  
 Qua pereunte doles, cœloq; adiungere tentas  
 Quam terris remanere negas. Nunc ordo figuræ  
 Explorandus erit, latebrisq; uidendus apertis  
 Dicitur è solo Demetrius atria demens  
 Argento posuisse deæ, cum plura capaci  
 Protulerit natura sinu, quibus ista metallis  
 Fingeret, ut fufis animentur uultibus æra,  
 Ingenijq; manus promittunt munere cautes.  
 Quod si sanctiloquos uoluamus ab ordine libros,  
 Inueniemus iter, puris quia sensibus aurum  
 Comparat, argentum nitidis scriptura loquelis  
 Nam psalmus licet ista canat, tamen inclyte Moses,  
 Altius hæc memoras populo cum talia dicas.  
 Aurum, atq; argentum templorum ferre decori,

Quod

Quod iacet interius menti, non dura metalli  
 Materies sub corde latet, sed apertius illud  
 Exagitat, quod Christus amat, mens obtulit aurum,  
 Cui fuerit preciosa fides, pariterq; ministrat  
 Argentum, cui uoce sonant bona tympana cordis,  
 Ut Dominum duo iuncta colant, de pectore sensus,  
 De sermone sonus, sic aurum dogmata legis,  
 Argentumq; petunt hoc ad pia templa parari.  
 Nos quia templa sumus, si crimina cuncta recedant  
 Prescia uerba monent, quod Apostolus ipse reuelat,  
 Corde salus credentis erit, confessio uocē.  
 Sacrilego res una fuit. Demetrius ades  
 Condidit argento, cuius sacundia mouit  
 Hos animos, ut norma probet sine iudice sensu  
 Numina uana coli, nec de uirtute uenire  
 Pectoris istud opus, cui pars hæc sola dicatur,  
 Que rationis inops nudam ferit ore loquelam.

Paulum in Troiam urbem prædicatū  
 rum accessisse, cumq; in cœnaculo prædi-  
 caret, produxissetq; sermonē usq; ad no-  
 ctē, multa accensa fuisse funalia intereaq;  
 Euthycū quendā somno correptū, ē fenē-  
 stra decidisse, ac mortuū, omnemq; tur-  
 bam mœrore plenam uisum profectam,

cumq; Paulus cadaueri adhælisset, statim reuixisse puerum.

Tu quoq; signa ferens titulos in carmine nostro  
Troia repone tuos, & laudibus adde triumphos  
Qui magis ex uero fulgent tibi clarius actu,  
Quam quos pomposo reboant tua bella cothurno.  
Lingua colona dei cum semina foeta saluti  
Spargeret, in seram produxit tempora noctem  
Plus animis factura diem: micuere coruscæ  
Lampades, ut uerbi lucerent igne fideles.  
Solutus ab excubijs uiuacibus Euthycus exul  
Mersa sopore graui commisit membra fenestræ.  
O male parta quies, o semper dedita somno  
Pectora nuda bono: quantis patet ille ruinis,  
Quem nox sola tenet: nunquamq; resuscitat ægrum  
Ad meliora caput, nescit uigilare periclo,  
Qui patitur dormire deo, quid inane fenestræ  
Queris adulte chaos, quid hæc in parte quiescis?  
Qua ruiturus eris? res est inimica saluti  
Pendula celsa sequi, futuræq; somnia prono  
Carpere uelle toto: poteras melior cubili  
In uerbo recubare dei, Pauloq; monente  
Eius uelle aditum, cui lumine peruia recto  
Ianua nomen inest, per quam de fonte leuate

Ad uitam

Ad uitam gradiuntur oues, hanc quærite cuncti,  
 Si rabidas fauces cura est, morsusq; cruentos  
 Euitare lupi, cuius lacerabitur ore  
 A pastore fugax, qui sparsos uocibus agnos  
 Euocat, atq; gregem propria de morte redemptum  
 Non sinit insidijs, & amari uulnere dentis  
 Rursus ab hoste capi: mœsto sonuere tumultu  
 Atria: concurrit gemitu miserata frequenti  
 Turba uidere locum: qui funere tristis acerbo  
 Letitiam facturum erit, cui Paulus adhaerens  
 Pectore uiuit ait, quem uocem uita secuta est,  
 Morsq; repulsa fugit: quantum tua Christe potestas  
 In famulos operata dedit, tu redditus astris  
 Aequalisq; patri de maiestate perenni  
 Iura superna regis, sed quod caro corpore matris  
 Virginis orta tibi regnum spoliavit auerni,  
 Viuaq; de proprio reuocasti membra sepulchro,  
 Teq; probans uoluisse mori, qua parte resurgis,  
 Ex qua natus eras, qui ferrea uincula soluis.  
 Lux alijs alierna redit te autore, simulq;  
 Exemplo donata tuo, qui subdita dudum  
 Cogis, & electis succumbere tartara seruis.  
 Interea fœlix surgit de morte cadauer  
 Et meliore uia tria per coenacula sospes



Ducitur ad Paulum, cuius conspectibus insons  
 Cœpit adesse puer, uitæ iam dignus honore,  
 Cum leti conuertit iter, quæ gloria facti  
 Instruit ad ueterem causas aperire figuram.  
 Fulta tribus cameris Noë describitur arca,  
 Ecclesiæ documenta gerens: steut ordine primo  
 Pars hominum pecudesque gradum tenuere secundum  
 Tertia sors addicta feris, quæ cuncta per undas  
 Arca quadrata tulit, uelut in baptisinate fontis  
 Omnibus est nunc una salus, sed moribus unus  
 Non ualet esse locus: nam nidos fertur in illa  
 Aedificasse Noë, quem iustum dicit Hebræus  
 Et requiem, quod Christus inest, qui diuidit æquus  
 Præmia certa suis: quisquis uirtutis amator  
 Iungitur alta petens. Noë stat proximus: infra  
 Ingenio breuiore minor sors dedita seuis  
 Tartareum tenet ima sinum: sic Eutyclus ergo  
 Prima parte cadens inferni perditus oris  
 Hæsit, & humana uacuis ratione ferarum  
 Cœpit habere locum, cui postquam pectore Paulus  
 Incubuit, uerbumque suum sapientia fudit,  
 Ore leuans animam carnali lege peremptam  
 Ad Dominum de morte redit, quod epistola clamat  
 Qui dormis iam surge citus, rursusque perurget,

Tuque

Tuque uigil de morte leua: super ardua trina  
 Promeruit iam stare puer, quia dogmate trino  
 Comperit eterne, quæ sit substantia uite.

Paulum spiritus sancti iussu Hieroso-  
 lymam petiturum conuocasse Christia-  
 nos, eosque in littore monuisse ut ecclesia  
 Christi seruarent, ouesque ipsis commissas  
 uigilanter custodirent, atque eo magis, quod  
 se amplius uisuri non essent, habitaque ora-  
 tione exosculatum omnes fuisse, ac illis pie  
 plorantibus. comitantibusque nauim soluisse.

Iamque peragratis Paulus stationibus orbis  
 Ad Solymam uenturus erat, quo spiritus illum  
 Pergere sæpe monet, cupiens in littore noto  
 Perpetuum memorare uale, simul undique sacros  
 Euocat, has reddens claro de pectore uoces.  
 O dilecta manus, quæ Christi militat armis,  
 O summo plebs nata deo, meministi amoris  
 Et studij documenta mei, gentilia promptus  
 Agmina Iudaicosque tuli sine fine furores,  
 Ut uite præcepta darem, nullumque lateret  
 In populo narrata fides, à sanguine uestro  
 Mundus semper ero, nec debitor oris auari  
 Clausa talenta tuam, sterilemque in semine uerbi

Ieiunus culpabit ager: uos conuenit inde  
 Vsuram præstare piam, cum uenerit auctor  
 Qui meriti discussor erit, seruosq; reposcet  
 Mensuræ crementa suæ: mihi germina ferre  
 Sensibus ardor erat, quæ passim credita sulcis  
 Sparsimus, at fructus tenes mala terra dolebit.  
 Vado uidere crucis uenerandam gentibus urbem,  
 Quò me iussa uocant, uarij luctamen agonis  
 Hic dabitur certare mihi: nam cuncta subibit,  
 Qui cursum complere uolet, mitissima fors est  
 Poenarum, quas uota gerunt, regniq; facultas  
 Perpetuo pro rege pati: seruate ministri  
 Ecclesiam Christi, pretium quam sanguine nobis  
 Fecit in orbe suo: famuli retinere laborent,  
 Quod Dominus de morte dedit: non cernitis ultra  
 Iam faciem, uultusq; meos: uigilantius oro  
 Commissos lustrate greges, quia dente rapaci  
 Conueniunt ad ouile lupi: custodia peccat,  
 Cum spolijs si raptor eat: pastoris inertis  
 Fraude perit, quod prædo capit, sed et acrior hostis  
 Intus erit, grauiusq; malum discordia portat,  
 Quæ uulnus sub pace creat, nec cedite duris  
 Virtuti damnosa quies, nullumq; coronat  
 In stadio securus, honor: sua gloria forti.

Causa laboris erit, rarusq; ad præmia miles,  
 Cui pax sola fuit, uictoria semen ab hoste  
 Accipit hinc oritur. Dominus plantaria uestra  
 Fœcundare ualet, qui per sua dona uenire  
 Ad sua dona facit, quodq; adiuuat ipse ministrat.  
 Non ego diuitias fluxu fallente superbas  
 Alterna mercede tuli, nec munera sumpsit,  
 Vos potius uestra petens: me scitis, ut istæ  
 Cum socijs pauere manus, assuescite, gazas  
 In lucis proferre uias, operumque locare  
 Thesauros in sede poli: nil proderit aurum  
 Defossis quæsisse locis, si claudat auarus  
 Quod calabat humus, quod non in paupere surgit.  
 In tellure iacet, cæcoque reuoluitur antro  
 Obscura peccante manu laxate supernis  
 Corda precor monitis, neq; respuat ullus egeno  
 Testa parare gregi, in quo suscipit hospite Christum.  
 Sic postquam fatus dedit oscula, tum simul orans  
 Flexit in arua genu, strictique doloribus omnes  
 Ad lachrymas fluxere pijs, longeque per undas  
 Obtutu comitante sequi meruere carinam.  
 Dumque per oppositas extendunt lumina nubes,  
 Additur in pelagus oculis uia, raptaque flabris  
 Puppis adhuc nota est, & mulcet imagine mentes,



Affectuque animi crescit mensura uidendi.  
 Sed quod ait tribus hæc annis præcepta salutis  
 Nocte, dieque dedit, patet hac ratione figura,  
 Qui canit ecclesiæ tria dogmata, sæpius edit  
 Historicum morale sonans: typicumque uolumen,  
 Sic & enim ternas capiunt sex uasa metretas,  
 Quæ ueteri de lege nouo rubuere liquore.  
 Forma sacrificij perfecti prisca canistro  
 Tres panes offerre iubet, quibus additur illud,  
 Discipulis quod Christus ait, iam nocte roganti  
 Tres panes debere dari: nox ista profectio est  
 Mundus, ut hic si quis uerbi desiderat escas,  
 Exhibeat quæsitæ dapes, doceasque uolentem,  
 Quod pater & natus, quod sanctus spiritus unus  
 Sint Deus, & numerum triplicat substantia simplex.  
 Nec semel hæc pia iussa canunt: angariat inquit,  
 Te quicumque petens: ut pergas præuius unum,  
 Cætera uade simul duo millia, nōne uidentur  
 Hoc m. m. lata loqui? si quis te consulit errans  
 Ignarusque uie, quod sit Deus edere magis  
 Prode patrem, subiunge libens quod filius, & quod  
 Spiritus est almus, numero tres, & tamen unus.  
 Hinc iudæa uacans, sterilis quæ dicitur arbor,  
 Expectata tribus fructum non attulit annis,

Quod triplici spernens tractare uolumina sensu,  
In fidei numeris nescit dare munera Christo.

Paulum in templo Salamonis cū prædicaret Hierosolymis à Iudæis captum esse, ut interficeretur, & tribunum iussisse duabus eum catenis ligari, quo facto, hebraicè Paulum narraſſe populo quis ac qualis fuerit, antequam Christianus eſſet, & quare in Christum crediderit, & ob id magis ira accensos Iudæos.

Nobile iam templum Salamonis Paulus adire  
Cœperat, & ueteris solennia reddere legis.  
Corripit hunc Iudæa manus, rabidoq; tumultu  
Conclamant necis esse reum, sed in arma tribunus  
Euolat, & iunctum geminis iubet ire catenis,  
Quæ tamen astrictis incumbunt dura lacertis  
Non animum tormenta ligant, quod epistola Pauli  
Lumine plena canit, uinciri posse ministros,  
Uinciri non posse fidem, uerbunq; teneri  
Supplicijs non esse datum, gradibusq; sub ipsis  
Constituit, hebræo plebi sermone locutus.  
O fratres patresq; uiri me nostis in oris  
His uenisse rudem: doctrina deditus omnem  
Legis amore fui: uobis modo testibus utor.

QUORUM

Quorum scripta ferens ardebam cede Damasci  
 Christicolae punire greges, & finibus orbis  
 Hanc prohibere fidem: sed non mortalia possunt  
 Auctori certare suo: descendit ab astris  
 Aucta dies latuit, caligantesque tenebrae  
 Lux, oculos clausura meos, & ab igne corusco  
 Orbibus incumbunt, quarum mihi tempore creuit  
 Adueniens cum nocte iubar: discernere causas  
 Euentus post facta solet: bene uidimus umbras  
 Usuri iam sole nouo: sed & auribus haesit  
 Clamor ab ore Dei, repetito nomine Saule,  
 Me Christus terrore quatit, ne signifer ultra  
 Auderem bellare sibi: quo iure negabo,  
 Quo feriente cado? cuius de munere pronus  
 Attollor meliore uia, per quae ardua surgo,  
 Sublimisq; sequor foelicia dona ruinae.  
 Iam satis o ciues crudelia nouimus arma,  
 Nil dubium pars illa docet, quae teste beata  
 Fungitur hoste suo: quid adhuc libet esse nocentes?  
 De tenebris lucere meis, cui fontis ab undis  
 Est uisum largita fides, & mortis imago  
 Viuere coepit aquis: heu nunquam saxea tellus  
 Seminibus foecunda suis, uacuiq; labores  
 Qui sterilem patiuntur humum: post deniq; Iesus

Hæc mihi uisus ait: procul, hac procul urbe relicta  
 Pergere Paule para, non est tibi credula nostri  
 Nominis, ad gentes potius cane uerba salutis.  
 Protinus hanc uocem querula rapuere Phalanges  
 Projiciunt uestes, ac puluere longius acto  
 Ventosa leuitate fremunt, uarioq; furore  
 Personat in Pauli rapidum discrimina uulgu.  
 O Iudæa nocens autorem perdere uite  
 Cum cuperes sic dicta dabas: fuit optio linqui  
 Quem uelles clamosa tibi, sed ab ore cruento  
 Triste petis mala suada nefas, et gaudia pasche  
 Electo latrone colis, geminasq; furorem  
 Seu a pio placata reo, certamine cuncto  
 Te spoliis, uacuanq; locas, cum durior ipsis  
 In Stephanum tormenta iacis, deponis amictus,  
 Et nunc ueste cares, primi quia pcena parentis  
 Est cognata tibi. ueterisq; in corpore portas  
 Transgressoris onus, contraria fontis honori  
 Ne renoueris aquis. Adam sub criminis ortu  
 Cognouit quod nudus erat, documentaq; noxe  
 Hinc misero patuere suæ: te mortis origo  
 Crebra subit, cui plena malis interserit ira  
 Bis habitum quem culpa creat: iam bella tribunus  
 Vocibus his ardere uidens, fera uincula Paulo

Addidit



Addidit, & castris torquendum misit iniquis.  
 Nota querela locis ut sit superanda canemus.  
 Paulus gesta loquens socios ibi lumina dudum  
 Conspexisse suos, uocem tamen auribus illam  
 Non habuisse refert: at tunc quo tempore cæcus  
 Decidit, & uocem comites audisse leguntur.  
 Sic uariat narrantis opus, sed utrunq; necesse est  
 Concinat, haud dubium: nam tunc audisse feruntur  
 Accepisse sonum, nunc non audisse profecto.  
 Hæc rationis erit simplex uia iure negatur  
 Vox, quoniam confusa loqui, neq; creditur illud  
 A sermone dari, quod non in pectore condit  
 Accipiens, dubia tantum stimulatus ab aure,  
 Ambiguus fragor solas deuerberat auras.  
 Sic audisse simul, sic non audisse leguntur,  
 Altera pars sonitus, certa est pars altera uocis,  
 Et fert atq; refert geminam res illa figurant.

Paulus crudeliter à Iudæis cæditur,  
 & circiter quadraginta ex Iudæis decer-  
 nunt non ante se comesturos bibituros  
 uè quàm Paulum occiderint. audit hoc  
 Claudius Lysias tribunus, Paulumq;  
 magna caterua militum constipatum in  
 Cæsaream mittit ad Felicem præsentem  
 accusas

accusatur Paulus coram præside: ille  
 uerò se defendit, hinc coram Porcio Fe-  
 sto præside successore Felicis Paulus ap-  
 pellat ad Cæsarem, quod esset Romanus.  
 quare Romam mittitur.

Agmina supplicij feruentia corpore Pauli  
 Poenarumq; graues euoluere uersibus iras  
 Causa monet, sed lingua pauet: fugiamus ab ista  
 Parte dolor, ueritiq; nefas tam triste premamus,  
 Eloquium, ne forte legens sua fletibus ora  
 Compleat, & largis humescat pagina guttis.  
 Nec tamen hæc poterant animos satiare cruentos  
 Ardet amor scelerum, cupiuntq; in sanguine Pauli  
 Sacrilegas uersare manus, quæ dura malorum  
 Vota quaterdeni uesane stirpis alumni  
 Imposuere sibi, non ullum sumere potum  
 Primitus atq; cibum, quàm parta cede daretur  
 Hinc magis esse dapes: ò pallida mortis imago.  
 Pocula sunt Iudæa tibi meliora cruentis  
 Quàm laticis, nullasq; uolens contingere mensas  
 Esuris ad facinus, saturamq; cadauere iusti  
 Queris habere famem: non hæc ieiunia Moses  
 Condidit exemplo, tot consummata diebus.  
 Ut memoras, quot tela moues, totq; inspicis annis.

Secretas patuisse uias, ubi diuite nymbo  
 Fluxerunt de rore cibi, rupesq; uicissim  
 Arida fudit aquas, in quo meruere parentes  
 Diuina bonitate frui, donisq; supernis  
 Enutrire animas: numero crudelis ab ipso  
 Tu scire uenis, pollutaq; foedera iungis  
 Agminis, ut plures faciat mors una nocentes  
 Comperit hæc Lysias Pauli uulgante propinquo,  
 Quo uere parent aduersa loco: monet ocius ergo  
 Clam sua iussa tegi, noctisq; in tempore cautus,  
 Obscurum præuenit opus, lectisq; maniplis  
 Imperat, ut tuto Paulum comitentur honore.  
 Gloria de meritis à te delator honeste  
 Non aliena foret, quodq; est ad præmia rarum  
 Proditione places, nec te constantia ledit,  
 Quam sceleri seruare times, in crimine uirtus  
 Crimen erit, cumq; ad facinus sociantur iniqui  
 Est tibi culpa fides, quam tunc in laudibus ornat  
 Verus honor, cum culpa pia est: stipantibus armis  
 Cesaream mox Paulus adit, quo turba cucurrit  
 Rhetore sulta suo, qui præsidis aure potitus  
 Irrita uerba dedit: contra sic deniq; Paulus,  
 Optime præses ait, dudum te nouimus omnes,  
 Iusticiæ documenta sequi comitemq; modestam

Consilijs hanc esse tuis: quæ gratia suadet  
 Fidere, nec dubium tali sub iudice fari.  
 Non legis, templiq; pium uiolauimus usum,  
 Nec sermone uago populares mouimus aures  
 Urbibus ex Asiæ uenientes soluere dona  
 Cœpinus, ad purum semper spectantia uotum  
 Quis rogo liber erit, si res facit ista nocentem?  
 Eloquar haud metuens (neq; enim discrimina nouit  
 Formidare fides,) audent quam dicere sectam  
 Luminis esse uiam, nec discordare nouellis  
 Iura uetusta patrum: fas est modo credere cunctos  
 Corpora de tumulis iam posse resurgere, postquam  
 Detulit inde suum, qui condidit omnia Christus.  
 Obstupuit Felix amisso nomine, uincla  
 Quem faciunt: aliena reum, quorum obice Paulus  
 Stringitur, & festi scrutatur præsidis anno.  
 Linquimus hic nimium, ne gaudia nostra morentur,  
 Ad latium iam Paule ueni, certamine crebro  
 Quæ fuerint agitata foro, quantiq; legantur  
 Iudaici fluxisse doli: nam talia Paulus  
 Cæsaris ad solum uos prouoco, Cæsaris inquit  
 Appello Romanus opem, cui Festus abibis,  
 Ut cupis Augusti citius uisuræ tribunal.  
 Nam stimulante metu, fugiens discrimina Paulus  
iudicij



Iudicij uitauit onus, mens anxia semper  
 Pro uita meliore mori, sed muneris auctor  
 Preconi, testiq; suo iam dixerat olim,  
 Quod Romam uenturus erat: clementia Iesu  
 Omnibus in terris fidei sitientibus haustum  
 Pocula dat de uase suo, cunctosq; rigari  
 Multifluo sermone iubet, meruitq; uenustas  
 Nominis occidui de lumine crescere uerbi.

Paulus nauigat in Italiam primo placido mari, hinc ingenti orta tempestate, quatuordecim dies iactatur in mari cum ducentis septuaginta sex socijs: tandem nunciante angelo, prædicat Paulus omnes euafuros, eosq; sibi à deo, cuius ipse esset minister condonatos: et statim pacato mari, deueniunt in Meliten insulam uicinam Siciliae incolumes, atq; ibi fessis persuadente Paulo cibus, potuiq; indulgent.

Soluerat Eo classem de littore uector  
 Austri nactus opem, cuius spiramine leta  
 Crebrescente uia, ueliq; patentibus alis  
 Aequora findebant puppis: sed mite quid unquam  
 Ventorum tenuere doli: mox flatibus Euri

Rupta quies pelagi, tumidisq; incanduit undis  
 Cerulei pax ficta maris: furit undiq; pontus,  
 Attollensq; suas irato gurgite moles  
 Denegat arrepta uestigia certa carinae,  
 Quae suspensa polis, delectaq; iungitur aruis  
 Terrarum coeliq; sequax: caret artis amicae  
 Praesidijs manus apta rati, gelidoq; pauore  
 Deponunt animos, nigroque sub aere caeci,  
 Naufragium iam iamque uident, clausoque profundo  
 Mortis imago patet: uastas percurrere syrtes  
 Historica ratione uocor, lacerpsque rudentes  
 Et clauis fragmenta sequi: sed non ego linguam  
 Tam fragilem committo uadis, rabidasque procellas  
 Ausugiam tentare diu, ne forte canenti  
 Obruit exigua uiolentior unda loquelam.  
 Tangere pauca libet: tutas conabor arenas.  
 Praeui fluctuagae latuerun' sydera puppi,  
 Nec solis radijs sub nubibus emicat axis.  
 Cumq; dies multos iam rite peregerit orbis,  
 In pelago nox una fuit: quo tempore nullis  
 Indulsere cibis: quanta est heu poena timoris,  
 Supplicium nescire famis: dat semina causis  
 Res mala saepe bonis, tam clari nautica pubes  
 Militiaeque cohors hominis tempisset honorem

Prosperiore freto, cuius custodia tandem  
 Solutur, & saeuo uenerantur ab aequore uecti,  
 Quem portum sensere suum: gerit illa ruina,  
 Ne lateat, quod Paulus erat, sanctusq; pateat  
 Assertore mari: raptisq; elementa laborant  
 Luminibus monstrare uirum, medijsq; tenebris  
 Apparet radiata fides: fit laurea iustis  
 Ex pretio, quod terror agit, mansuraq; uirtus  
 Crescit in aduersis, quæ testibus usa periculis  
 Ad meritum discrimen habet: stans demiq; Paulus  
 Conclamata pijs animat sic pectora uerbis.  
 O utinam nostris noluisses fida iuuentus  
 Consilijs parere prius, ne littora Cretae  
 Linqueres, insani rabiem passura profundi.  
 Non pelagi coeliq; minas non triste tulisses  
 Iacturae populantis onus, nec turbine tanto  
 Desperata salus gemeret confinia mortis,  
 Quæ tamen humanum transcendunt gaudia uotum.  
 Hæc facile est præstare Deo, cui muneris usus  
 Hic potior, quem nemo putat: nam missus ab astris  
 Angelus hæc placido ueniens denunciât ore.  
 Quam turbam uehit ista ratis, tibi rector olympi  
 Contulit, ut nullis figatur naufraga saxis,  
 Credite uera forent, nec spe frustrabor inani,

Qui merui promissa dei, concessaq; nobis  
 Insula portus erit, cuius statione licebit,  
 Arrepta tellure frui, nauisq; solute  
 Prospectare grauem nullo discrimine casum.  
 His dictis ruit ira maris, sublataq; dudum  
 Lux reuocata micat, uelamine noctis aperto  
 Pandere uisa solum, quod praebeuit hospita nautis  
 Sicanos lateri remis uicina Melite.  
 Ante tamen rabidos quam uincant æquoris æstus,  
 Soluite proclamat Paulus, ieiunia festi.  
 Ex quarto decimo, sicut nos uescimur, inquit,  
 Iam panem gustate die. Memoranda figuræ  
 Sacramenta piæ ualeant, qua lege probemus.  
 Tempore quo primi fulserunt lumina mensis,  
 Hoc numero currente die, de carnibus agni  
 Turba isbetur ali, quarum munimine tacto,  
 Libera niliacas meruit uitare tenebras.  
 Hinc spatio simili Paulus de gurgite mundi,  
 Quos auferre cupit, secum conuiuere suadet,  
 Et sacrum libare cibum, uestigia Mosi  
 Obseruata legens, quorum speculantibus actum  
 Hec duo sunt diuersa locis: sed proxima causis,  
 Et repetita salus uno de fonte leuatur.  
 Agnus Christus inest, panis quoq; Christus habetur



De cælo, quod & ipse docet, qui corpore Iesum  
 Sumpserit hoste caret, nec iam sua iura Pharao,  
 Aegyptusq; tenet: mox omnia dæmonis arma  
 His merguntur aquis. quibus ille renascitur infans  
 Qui captiuus erat, salæ quoq; fluctus abyssi,  
 Linquntur, & tetri superantur stagna draconis  
 Ereptoq; gregi largitur pascua Christus  
 Nominibus proprijs, pastor iam uerus edendi.  
 Hinc etiam ecclesiæ gerit aurea luna figuram,  
 Quæ quartodecimo de primæ lampadis ortu  
 Conspicitur iam plena die, quæ à corpore Iesu.  
 Creuit in orbe suo, lucem factura perennem.

Paulus cum in Melite insula in ignem sarmenta confert: à serpente mordetur, at ille in ignem eam inijcit, cumq; qui adsunt homicidam esse Paulum affirmant, quod cum dudum maris tempestatem euaserit à uipera interficeretur: nec euenit quod expectant, sed contra illæsum uiderent, deum esse Paulum prædicant.

Pelleretur Paulus crescentia frigora nymbis  
 Contulerat sarmenta focus, cui uipera fixit.  
 Dæmonis arma ferens surgentibus obuia flammis

Antiqua

Antiqua feritate manum, gelidiq; ueneni  
 Vulnus in igne dedit: quid adhuc male noxia serpens  
 A Domino reuocare cupis, ueteresq; rapinas  
 In legis nouitate paras? quid mortis amatrix  
 Cuius es ipsa parens, instauras bella redemptis?  
 Prædo uenis, sed præda iaces, latumq; ministrans  
 Arboris alterni consumeris improba ramis,  
 Postq; crucem Christi mors est tibi portio ligni.  
 Haud procul hinc aberant agrestia corda gerentes  
 Barbarica de gente sati, qui munere diro  
 Insonuere simul: satis est ex crimine fusi  
 Sanguinis iste reus, nullis iam tutus in oris  
 Cui pelagus tellusq; furunt mortalia tractant,  
 Et diuina probant: digito nam bestia pendens  
 Excutitur proiecta rogis, bene reddita flammæ,  
 Quam dedit ipsa prius, quæ culpæ protulit ignem,  
 Vnde gehenna calet, glacies tepefacta ueneni  
 Soluitur in cineres, gelidæq; superbia pestis  
 Ex ardore perit: focus hinc rapidiq; uapores  
 Non solidas uires capiunt, atq; arida secum  
 Nutrimenta ferunt, sed tu modo decoquis anguem  
 Vsa tuo feruore fides: tibi subditur hostis  
 Frigidus inq; uicem faciens incendia flagrat,  
 Vipereo fumante gelu: ueniente tumore

Labi posse ferunt: quantum per inania currit  
 Mens ignara boni: iam tunc de corpore Pauli  
 Virus abest, oculis cum squammeus exijt horror,  
 Quem serpens antiqua dabat: purgatus in anthe  
 Aethereo, Christiq; cruci sua membra religans,  
 Nescit ab angue mori uorat hæc, quæ flamma uenenum  
 A sacris uim sumpsit aquis, quibus iustus anhelat  
 Qui dolet ad patriam ueteres remeare colonos.  
 Incolumem sic stare diu mirata iuuentus  
 Hunc ait esse deum: tandem rudis incola disce,  
 Qua regna uirtute polis, qui talia confert  
 Ut famulos hoc esse putes. Nunc causa figuræ  
 Plenius in clari cernenda est munere facti.  
 Anguis origo necis (nam mors hinc edita nomen  
 De morsu peccantis habet) contraria iustis  
 Vult retinere manum, quoniam manus apta ministrans  
 Iure uocatur opus: talem qui senserit hostem  
 Impiger excutiat, dominiq; uaporibus urat.  
 Paulus ut admoti cognouit furta pericli  
 Serpere uelle sibi cœlestia tela capescens  
 Pressit in igne dolos, cuius de fomite crescens  
 Est accensa fides, & sensibus additus ardor,  
 Huncq; calor populis processit ab ubere fontis.  
 Paulus tribus mensibus commoratur  
 in Me<sup>o</sup>

in Melite insula cum socijs suis, atq; ibi  
 Publij parente graui morbo curato, un-  
 diq; ad Paulū concurritur: tandē primo  
 uere secundis uentis appellit ad urbem.

Mensibus hybernis tribus in regione Melite  
 Multiplicem dat Paulus opem: Publijq; parentem  
 Finitima de clade leuat: quo munere uiso  
 Vndiq; precipites subitam rapuere salutem.  
 Pullulat interea nitidi coma frondea ueris,  
 Quo iuuenescit humus, senio fugiente pruina,  
 Suscipiensq; ratem uelis credentibus auster,  
 Præbuit aligeras placidis in fluctibus undas,  
 Hunc spirare decet, quem personat ore Propheta,  
 Qui speciem fidei torrentem cantat in austro.  
 Sic quoq; prostratis ad gaudia nostra procellis  
 Plurima quæq; legens distinctis oppida uicis  
 Venit ad excelsæ sublimia culmina Romæ.  
 Altius ordo petit duo lumina dicere mundi  
 Conuenisse simul, tantisq; è partibus unum  
 Delegisse locum, per quem sua sydera iungant  
 Omnia, qui fidei uirtutibus arua serenant.  
 Quæ licet innumeris tendatur causa figuris  
 Pauca referre uolens, iisdem præstantibus edam,  
 Petrus in ecclesiæ surrexit corpore princeps,



Hæc turrita caput mundi circumtulit oris.  
 Conueniunt maiora sibi, speculentur ut omnes  
 Terrarum Domino fundata cacumina sedes.  
 Gentibus electus Paulus sine fine magister  
 Aequus huic, præsens oris diffudit habenas,  
 Quæ gentes prælata monet: quodq; innotat istic  
 Urbis cogit honor subiectus ut audiat orbis,  
 Dignaq; materies Petri Pauliq; coronæ  
 Cæsareas superare minas, & in arce tyranni  
 Pandere iura poli, summumq; in agone tribunal  
 Vincere, ne titulos paruus contingeret hostis.  
 Aegyptus mundi formam gerit, inde uocari  
 Quæ meruit ducibus plebs est commissa duobus,  
 In quibus officium fraternus nexuit ortus.  
 Idola, tot Romæ mundo collecta subacta,  
 Quæ fuerant tenebris obnoxia corda premebant.  
 Liber & populus quem unxerat ante Pharaon.  
 Exiit Aegypti totidem ductoribus umbras,  
 Perq; lauacra Dei, quæ tunc maris egit imago,  
 Vitæ nactus iter, cœlestem repperit escam.  
 His etiam germanus amor, quibus amplius actus,  
 Quàm natura dedit, geminos quos edidit astris,  
 Non eadem, tamen una dies, anniq; uoluto  
 Tempore sacrauit repetitam passio lucem,  
 Et tenet æternam socialis gloria palmam.

# DIVI PAULI APO

STOLI GENTIVM AC CHRISTI E

clesiæ Doctoris ad Romanos Epistola una per

Franciscum Bonadum Angeriæ pres-

byterum paraphrasen.

Capite I. ostendit Apostolus se Ro-  
manis charitatem habere, illorumq; ui-  
tia redarguit, qui desideria sua plus æ-  
bulo sectentur.



A VLVS amor Christi, sacer  
ortis Apostolus almæ

Ordior arcanas religionis  
opes.

En ego sum uates, per sacros an-  
te prophetas.

Qui dauida tulit pacis habere ducem,

Scilicet illustri prodiret origine princeps,

Quem diuina nouæ stirpis imago daret.

Pareat ut fidei data copia, sedulus Hermes

Disticha Romanis fascibus ista gero.

Gratia, pax uobis. Charites per soluo tonanti,

Quod uigeat magno uestra sub orbe fides.

Testatur diuinus apex cui seruió, quantum

Syncera

Sycera fratres uos ratione uelim.  
 Prospera uentorum spiramina sæpe rogauī,  
 Fimbis ac Italis fixus habere pedem.  
 Illuc dum coeli tulerint me flamina, certe  
 Partiar illumes dexteritatis aquas.  
 Nolo mei fratres iam scriptum fœdus abesse,  
 Quò minus in memori corde quiescat amor.  
 Optau fructus ex uobis ferre salubres,  
 Qualia & externo iura sub axe tuli.  
 Græcis debentur mea munera, Barbara tellus,  
 Doctus & insipiens dogmata nostra legunt.  
 Quam primum Romæ fuero mihi credite, uatis  
 Officio fungar, mi placet illud opus.  
 Prima salus fidei Iudæo postera Græcis  
 Surgit, & à primo fonte secunda fides.  
 Ex fidei fructu cordata modestia uiuit,  
 Horrificaq; graues impietate iacent.  
 Quare mortales ne uos excuser, imago  
 Panditur, ut noscat iura potentis humus.  
 Hocce nimis stupeo, cum nosceret impia regem  
 Turba deum, sapiens prodidit ira sophos.  
 Qui sophiæ partes ferebantur habere magistri,  
 Traxerunt stolidos in sua fila greges,  
 Corruit altus honor, cecidit quoq; gloria gentis,

Quæ sibi diuinum numen habere tulit.  
 Dissipat immundos cœlestis dextra penates,  
 Iamq; idolatras trusit ad ima uiros.  
 Id scelus, erroris est, superant mendacia uerum,  
 Perfida compactum machina rumpit opus.  
 Proh scelus, ò crimen uariavit scœmina sexum,  
 Vis quoq; scœmineum mascula compsit onus.  
 Quod magis, infandos peruenit sexus ad ignes,  
 Stuprauit sociam scœmina, uirq; uirum.  
 Qualis homo factus: surrexit an aurea mercis,  
 Ex quo apicem sceleris uir maculatus habet?  
 In reprobum sensum mutauit dextra potentis,  
 Quo patret infauista plebs nimis atra scelus  
 Numinis exosos feralia uota sequuntur,  
 Quæ disconueniunt turba scelestâ furit.  
 Ira susurriones, detractrix aura superbos,  
 Turpis & exercet supra soluta Venus.  
 Fœnus auaritiæ, fraus, irreuerentia patrum  
 Crescit & impietas, fœdere rupta fides.  
 Pars ea iusticiæ cum nosceret impia sortem,  
 Non intellexit sub deitate modum.  
 Vt mala dispereant ueloci crimina morbo,  
 Quicquid fauent miseris cœlica iura uolunt.  
 Capite II redarguit Apostolus Iu-  
 dæorum



dæorum uitia, dicens eos in culpa genti-  
libus similes, & quo ad aliquid peiores,  
ex eo quod aliorum suacq; non iudicent  
crimina.

**Q**uare mortales te non tua culpa relaxat.  
En capis errantes in tua rostra uiros.  
Iudicium pensas, & eodem iudice pendes.

Iudicio damnas quod sceleratus agis.  
Arbiter ista deus scrutatur indice cælo,  
Persequitur miseros dia machœra greges.

O homo, qui taxas, & agis quod fertur ineptum  
Fatales credis uincere posse manus?  
Sic bonitatis opes, sic tela potentia spernis?

Impia longanmem cernis ad arma Deum?  
An miser ignoras quod te decernat olympus?  
Cur non te pudeat quod miser actor habes?

Proh tua duricies cœlorum percitat iras  
Funeris extremum pars mala tentat onus.

Gloria, laus, & honor quærentibus atria cœli,  
Tartara uulnificum tendit ad ima scelus.

Prima tenet laudis iudæus premia mystes.  
Græcus item foelix stemma decoris habet.

Non deus antefacit quos ducat in æthera ciues,  
Perplacet illustri mens studiosa polo.

Qui sine

Qui sine mortales peccarunt lege ministri,  
 Ac uelut erronei in nigra contra ruent.  
 Atqui in lege duces peccarunt segniter, ipsi  
 Horrida per legem uindictis arma luunt,  
 Non auditores legis lex tetrica iustos  
 Reddit, factores captat & ipse Deus.  
 Effrenes populi faciunt quod lege soluti,  
 Ac uelut indemnes quæ sacra iura uetant.  
 Non qui legis onus conscriptum pectore gestant,  
 Ardens excusat fulminis aura reos.  
 Dum sacer electa Iudæus gente uocaris,  
 Tetrica dum tibi lex mollia strata facit.  
 Numina dum iactas te scire arcana tonantis,  
 Legis & antistes dum meliora probas.  
 Si tenebris solem, rudibus si dogmata præbes,  
 Dum sacra præutilans inserit arma sophos.  
 Cur docet ignarus? cur fures latro trucidat?  
 Quid turpes mœchos mœchus adulter agit?  
 Qui statuas rides, contemnis sacra, superbum  
 Te cur lex tollit, quum deitate uaces?  
 Assolet ingentes passim hæc blasphemia ferri,  
 Crudeles Domini robur inermes putant.  
 Si legem teneas tibi circumcisio prodest,  
 Legem si laceres barbara turba ruis.

Et si

Et si iusticia legis præputia seruent,  
 Nonne sacro sanctæ fœdera legis agunt?  
 Quod natura iubet, sua tunc præputia soluant,  
 Vah tu quid? laceræ nomina legis habes.  
 Publica Iudæum non circumcisio uulgus  
 Effert, mi tacitum litera pectus agat.

Capite III. ostendit in quo Iudæi e-  
 rant gentilibus meliores, probans tam  
 gentiles quàm Iudæos gratia Christi sa-  
 nè indigere.

**Q**uid Iudæus habet, quid Circumcisio laudis?  
 Eloquium Domini dextera corda sonant,  
 Sin minus alta dei sapiant oracula, nunquid  
 Ex scelerum rabie tollitur æqua salus?  
 Absit enim uerus deus est, homo deniq; mendax,  
 Iustificat rectum sermo tonantis opus.  
 Quid dicemus ad hæc: quod iudicis arma feramus?  
 Nunquid ob hoc gladium censor iniquus agit?  
 Absit, homo dico cur iudex atterit orbem  
 Qui sacræ diuinæ schemata laudis habet?  
 Nonne panompharum tollunt mendacia regem?  
 An meruit solers iudicis arma labor?  
 Cetera blasphemio lacerat non turba pudore,  
 Ceu mala fingamus sub leuitate bonum.

Horum

Horum iusta nimis damnatio tendit ad orcum,

Sunt hæc à stolido tradita sensa grege.

Euge quid ? an tales stupida præcellimus arte ?

Nusquam Iudæus nec mala Græcus habet.

Quis tam uir sapiens dios qui libret honores ?

Quis caua diuiduum lumen in astra ferat ?

In scelus omne ruunt, gens semper inutilis errat,

Cernitur in nullo qui patret orbe bonum.

Mollia concurrunt feralibus ora sepulchris,

Lurida sub molli fauce uenena latent.

Gutturæ foeta dolis sunt intus abyssus & error,

Fixit ut occidat dura sagitta pedem.

Crimen, & infelix miseros uia ducit ad orcum,

Non uocat infâustos pacis ad astra timor.

Quid clamet legis censura notatur in omnes

Cœlica sub stabili minime sceptræ uigent.

Scilicet ut sileat uerbosa locutio, mundus

Hunc timeat cœli qui loca præsul habet.

Illustres hominum pelluntur ad ima triumphæ,

Ni leuet omnipotens roboræ fessæ Deus.

Nota mali series, rem scimus lege ministra

Aspera iusticiæ fit sine lege manus.

Iusticiæ sanctas Christi uelut inclyta partes

Lex iacit, & uitæ iura perennis habet.



Quotquot in orbe scelus ( non est distinctio gentis )

Patrârunt, diuæ prosperitatis egent.

Cœlica mortales stabiliuit gratia iustos,

Atq; suo nostram sanguine tinxit humum.

Ex hinc alma fides, hinc iusti splendet imago,

Regis amore frui candida signa notant.

Gloria ubi tua laus ? exclusa per inclyta legis.

Dogmata ? quid ? per opus ? non, dedit arma fides.

Arbitrantur enim fidei pro numine cœlum

Scandere mortales hac sine lege uiros.

Is Deus est Solymis etiam gentilia curat,

Vt Deus omni regens singula castra tenet.

Circumcisa fides illustrat pectora gentis,

Ex fidei merito restituuntur opes.

Ergo sacrosanctæ laceramus uincula legis ?

Absit, eo legis pandimus æra pede.

Capite IIII. declarat Apost. exemplo  
Abrahæ fidem requiri ad salutem, & le-  
gem ueterem ad salutem non sufficere.

**C**VR Abrahæ summos dedimus genitoris ho-  
nores ?

Legis opes nunquid sanctificatus habet ?

Ex opibus legis si gloria fluxerit ingens,

Nescijt Altitonans hoc probitatis opus,

Quid

Quid sacra uerba sonant? Abraham sua corda tonanti  
Credidit, hacce micat religione salus.

Ipsa laborantem sequitur (non gratia) merces,  
Aequa fides hominem religione iuuat.

Psalmidicus uates isthæc oracula sensit,  
Quis sit & hic foelix per sua dicta refert.

Foelices quorum mens est oblita reatus,  
Ac tenet absconsam noxia uirga scelus.

Ille beatus agit cui non deus imputat orcum  
Ex poenæ modulus, hæc facit ergo fides.

Tutior unde salus? an circumcisio præstet?  
Aut res gentilis ponit in arce gradum?

Prisca fides Abrahamæ quando præputia gessit,  
Tunc meruit, casto signa pudore manent.

Hæc fit in orbe salus, fidei patriarcha uenusta  
Iusticiam prisca dexteritate tulit.

Non dux, aut hæres per legis opuscula magnus  
Fulsit, iusticia clarus in orbe fuit.

Tollitur alma salus, qui sola lege fit hæres,  
Promissi q; uagus fertilitate uacat.

Hic ubi nulla subest legis constructio nullum  
(Lex iram generat) criminis extat onus

Clara fide gratis datur hæc promissio tantum,  
His quibus est Abrahamæ patris auita fides.

Archipatrem laudant quod multos gentis honores

Ante Deum clara religione tulit.

Dexteris ante Deum gelida qui morte sepultos

Euocat: hinc reduces quos iubet esse facit.

Spem Domino fixit, maturus credidit hospes,

Quò dignus populi p̄sul in orbe foret.

Hinc pater insignes audiuit ab æthere plausus,

Syderibus compar semen habebit apex.

Hinc generosa fides grandi non excidit æuo,

Vxoris quanquam mortua uulua foret.

Blanda repromissum fœdus non spreuit imago,

At spe fœta fides carmen in astra tulit.

Quanta foret Domini maiestas ore probauit,

Credita iusticiæ munera sanctus habet.

Non Abrahæ tantum, sed cunctis æmula uirtus,

Qui dextra Christum religione colunt.

Capite V. declarat Apostolus uirtutem fidei in credentium iustificatione, quoniam regnauit mors ab Adam usq̄ ad Christum.

**E**X fidei merito qui pacis numen habemus,

Atq; sacrum recte prosperitatis iter.

En sumus heroes, generosa propago tonantis

Hanc uim letitiæ Christus ad ima tulit.

Restat

Restat & inde manus iactemus in aethera, quando  
 Horrida nos laceræ funera cladis agunt.  
 Scimus enim casu, operari cordis amorem.  
 Cordis amor dat opus, spes radiosa fidem.  
 Quid spes excutitur? non ite charis alma per artus  
 Flamine concessō cum graue pectus agit?  
 Vt quid Alexiacus (cum nos infirmatenerent)  
 Lethali Christus quæsiit ense mori?  
 Vix quis pro iusto moritur, neq; forsitan ullus  
 Audet pro sanctis rebus amica dare.  
 Nos probat æquus amor, charitas mera gratia fundit,  
 Nos ita sydereus conciliauit apex.  
 Dum fera lex orbem, quum res mala tempus obiret  
 Christus pro nobis hostia uiua fuit.  
 Functos luce charis mortales inde sequuta est,  
 Grator est proprio facta cruore salus.  
 Omnipotens genitor quamuis nos diceret hostes,  
 Per geniti mortem libera turba sumus.  
 Libera turba sumus, non tantum morte, sed ipsa  
 Viuimus Empyreï dexteritate duces.  
 Ex his accrescit non tantum gloria sed rex  
 Cœlica letitiæ pignora Christus habet.  
 Ex hominis lapsu peccatum fluxit in orbem,  
 Ex hominis uitio casus ad ima ruit.



Vnius lapsus uenit fatalis ad omnes,  
 Mors uno pariter ferbuit orta duce.  
 Crimen erat mundo tentatum ad legis amussim,  
 Ad legis notum secula crimen erat.  
 Nulla putabantur tristis uestigia noxæ,  
 Ante sacri monitus quàm data iura forent.  
 Mors ab Adam strinxit laqueos ad tempora Mosi  
 Et quod non tulerat mens luit ægra scelus.  
 Is transgressor Adam fuit arx præfaga futuri,  
 Sicut in orbe malum non ita Christus adest.  
 Vnius ut uicio multi cecidere nepotes,  
 Longior à Christo rege parata salus.  
 Vnius est hominis concessa redemptio culpæ,  
 Sic datur in multos gratia rara sinus.  
 Haud ita ut unius perijt grex clade parentis,  
 Finibus à superis aurea dona fluunt.  
 Ex uno flagrans gelidæ sententia mortis,  
 Pro uitijs sanctas gratia fundit opes.  
 Vnius ex lapsu si mors regnauit, ab uno  
 Iusticiæ præstat uiuida fata sequi  
 Sicut ab unius uitio res mortua quæq;  
 Vno ita successit limpida fonte salus.  
 Impia lex igitur tenebrosum terruit orbem,  
 Crimen ut undaret, serperet orbe scelus.

Ast ubi creuit opus, super aucta est gratia culpa,

Euicit tortos gratia blanda sinus.

Nam uelut in mortem sceleris, caua noxa cucurri,

Sic per iusticiam uita perennis adest.

Vnde salus? probitas? unde hæc clementia cœli?

Numen in æternum Christus Iesus habet.

Capite VI. indicit Apostolus in peccatis non esse manendum, & quod sit studeose agendum.

**Q**uid super his? erimus (quo gratia pinguis abundet)

Criminis auctores? cedat id oro nephas.

Quid fuimus facti mortales præda sub illo,

Non licet abiecto cominus hoste rapi.

Eia age uos scitis quàm fructus unda salubres

Intulerit, Christi funere uita sumus.

Nomme sacrosanctum Christi baptisma sepultos

Funere conscriptos uexit in astra duces?

Si complantati similem pro funere casum,

Gesserimus, nobis dexter olympus erit.

Tristis homo noster, simul est crucifixus a uetustas,

In scelus unde ruit corporis ægra seges.

Sic scelus inualuit ne fors peregrina resurgat,

Qui cecidit uitæ pignora sanctus habet.

Si referamus idem Christo sub principe fatum,  
 Nonne sumus nati uiuere in astra greges?  
 Christus enim surgens à mortis carcere, nunquam  
 Emoritur, nec ei pars dominatur iners.  
 Nempe quod à uitij moritur semel, horrida sato  
 Bella tulit, quod inest uiuere, uita, Deus.  
 Vos ita morte graues peccato credite, uita  
 Vos reduces uicto funere Christus habet.  
 Criminis horrendum mortali in corpore funus  
 Ne sit ut id superet fluxa libido malum.  
 Sed neq; membra scelus circumdet, ab hoste soluti  
 Arma redemptionis uestra leuate Deo,  
 Supplantent nexus genialia corda scœlestos,  
 Vos nunc exleges gratia rara tenet.  
 Querimus exleges utrum peccare licebit,  
 Dum leuis infâustum gratia soluit onus?  
 Absit an ignorat qui Christo scœdere iunctus  
 Iusticiam pura religionem tulit?  
 Gratulor his cœlo, tam quod res inclyta cessit,  
 Peccato iunctus liber ad alta uolat.  
 Id loquor humanus, ne carni prompta libido,  
 Ceu fluat in tumidum febris acuta scelus  
 Sicut ad immundum facinus uis crassa cucurrit.  
 Nunc ita ius studeat pars animosa sequi.

Urgebat fragiles nuper tentatio seruos,

Per fora iusticiæ libera turba sumus.

Qui fructus inerant? quæ uos ad crimina merces

Extulit, unde grauis currit ad ora pudor?

Mors fera, mors finis scelerum, stipendia mors est,

Aurea iusticiæ præmia Christus habet.

Capite VII. ponit Apostolus cessationem legis ueteris, quæ lex mortis & tractat de lege fomitis.

**N**on ignoratis quanto lex tempore uiuos obligat, ista sophis uatibus æra sero.

Fœmina sponsales thalamos exire nequibit,

Lege maritali sospite iuncta uiro est.

Mortuus at si uir fuerit, maneatq; superstes,

Deserit effrenem lege soluta uirum.

Si coniux uiuat, crudelis adulterat uxor,

Mutat & impune si uacet illa thorum.

Vos ita mortales per Christi funus adempti,

Clara sub externo tollitis arma duce.

Dum caro mortales, dum uel nos sanguis agebat,

Aspera lex stupida pabula mortis erat.

Iam sumus illustres à mortis lege soluti,

Quo ueteres linquat plebs neophita tropos.

Ergo necesse malum gerulis lex impia donat?



Absit, inexcussum lex data stringit opus  
 Pectoris ardores nescibam crimen habere,  
 Lex nisi mandasset sub leuitate malum.  
 Moribus addictis uenit ad mandata reatus,  
 Pectoris ardorem nunc scelus esse scio.  
 Ante quidem positæ lorata uolumina legis,  
 Et lex uiuebam, nec grauis error erat.  
 Ast ubi manda: um uenit, tunc culpa reuixit,  
 Hinc tremulum corpus torrida noxa ligat.  
 Mortuus ut iacui que uitæ iussa ferebant,  
 Lege mihi nota nunc graue funus agunt.  
 Patribus hisce datis scelus ob mandata putauī,  
 Horridus hinc titubo, me malus error habet  
 Lex ita sancta subest, ius æquum sancit honestas,  
 Monstrat & irradians lex preciosa bonum.  
 Quod bonitate fruar, mortis me truncat imago?  
 Absit, habet faciles mens studiosa polos.  
 Ut uitij tractu demonstret origo ruinam,  
 A recti specie sunt data signa necis.  
 Ad recti spectem mihi cognita mortis origo  
 Lex quoq; mandatis imperiosa subest.  
 Nil gerit admixtum sceleri pars aurea legis,  
 En ego carnali mobilitate trabor.  
 Que uitiosus ago uix hæc intellego, nusquam

Id patro quod rectum, quid nego tracto nephās.  
 Si quod nolo feram legi consentio, sed iam  
 Non ego fas operor, fingo quod error habet  
 Calleo quæ mea sunt, adstat pro carne uoluptas,  
 Velle quidem mihi mens, nec patrat illa bonum  
 Nec quod adopto bonum felici pectore condo,  
 Mens agit & quod obest pernicioſa refert.  
 Si quod nolo malum faciam patrare caduca  
 Vis negat, & quod inest pars agit ægra scelus.  
 Inuenio legem iustum tractare uolenti  
 Mollia perflagrans circinat exta pudor.  
 Condelector enim eordi transcribere legem,  
 Quando uiri partes interioris ago.  
 Specto repugnantes alia sub lege tyrannos,  
 Et me captiuum ducit ad ima rubor.  
 Hæc lachrymor miserum quis soluet imagine fati?  
 Infœlix ego sum, me nigra centra mouent.  
 Cœlica dona fluunt per Christi pneuma tonantis,  
 Est mihi sub Christo principe nata salus.  
 Spiritus hinc celebris dulci famulatur honesto,  
 Hinc rabidæ carnis fulmina crimen habet.  
 Capite VIII. ostendit legi Christi esse  
 firmiter adhærendum, quoniam ea lex  
 est lex uitæ, & lex spiritus.

**I**mpia sollicitat nullum damnatio pectus,  
 Qui sunt in Christo, nec caro blanda subest.  
 En lex uitalis sub Christo uisa tonante  
 Lacteolas scelerum soluit ab ære manus.  
 Quid lex moliri, quicquid caro fluxa nequibat.  
 Soluere, progenies à patre missa tulit  
 Alta Dei soboles humanos induit artus,  
 Ut caro damnaret carnis adulta scelus.  
 Mollia carnales captant præcordia somnos,  
 Sensus & ex animi dexteritate sapit.  
 Horrida uesane mors est prudentia carnis,  
 Pax & uita leuant spiritus id quod habet.  
 Impia mundane sapientia carnis olympum  
 Non colit: est autem res inimica Deo.  
 Illa nec Empyreo paret subiecta tonanti,  
 Regibus æthereis nec dare colla potest.  
 Qui polluta regunt carnis præsegmina, cælo  
 Credite uix ulla religione placent.  
 Non caro terrestris, sed res nimis ardua tollit,  
 Si defixa Dei spiritus ossa fouet.  
 At qui pneuma spuit, nec spiritus hæret olympo,  
 Non est unigenæ clara propago Dei.  
 Si Deus in uobis moritur sub crimine corpus,  
 Mens quoq; diuina iustificatur ope.

Si facer

Si facer ille deus qui morte uocauit Iesum,  
 Aspiret, quassus uiuificatur apex.  
 Ergo Panomphæo debemus multa tonanti,  
 Non in carne rudi cœlica uita subest.  
 Si caro uitales, in torpida flauerit auras  
 Corpora, morte graui cor morietur iners.  
 At si carnis opus mortis consumpserit hortor,  
 Limpida frugales compluet unda cibos.  
 Hos regit altitonans felici sorte ministros,  
 Qui sua sincero pectora iure colunt.  
 Non ea seruili donantur iura timore.  
 Semen adoptiuum dicimus Abba pater.  
 Spiritus ille facer placido respondet honori,  
 Quod sumus Heroa sub grauitate duces.  
 Si genus, hæredes patris olympi,  
 Atq; cohæredes nos ita Christus habet.  
 Hic patimur, geminos ut duplex palma coronet,  
 Quo simul humanæ clarificentur opes.  
 Non bene compensant ferales temporis huius,  
 Torturas stellans quæ sibi mundus habet.  
 Aurea uenturæ cunctamur præmia laudis,  
 Quæ dextro generi iura secunda ferant.  
 Vana creaturæ dantur nō æqua uolenti,  
 Hanc tamen ad superos spes animosa trahit,



O mera libertas, ô gloria sacra futura  
 Frugis, habet claros dia propago lares.  
 Omnes ad hæc ratio gemitus effundit amarus.  
 Vis neq; paturiens desinit ægra queri.  
 Illa cruentatos non tantum mœret agones,  
 Atqui primitias religionis habent.  
 Intima uulnificus corrodit pectora langor,  
 Dum liquet à supera sede moremur opem.  
 Nam uelut heroas cœlestis adoptio reges  
 Perficit, expectant corda soluta modum.  
 Clara salutarem spes duxit in æthera cursum,  
 Spe duce facta salus, spe duce notus amor.  
 Hæc ea spes non est, facilis quam spectat ocellus.  
 Non quod lumen habet, spes animosa colit.  
 At si quod tereti non pegma uidemus ocello,  
 Speramus, fortis subleuat ora fides.  
 Adiuuat infirmos constans prudentia gressus,  
 Duraq; perprudens spiritus ossa fouet.  
 Quid grauis exoret nescit pars anxia, notas  
 Planctibus innumeris spiritus adflat opes.  
 Qui caua uiuaci scrutatur corda nitore,  
 Scit superos quicquid mens studiosa roget,  
 Flamen amatores Domini uirtutibus ambit,  
 Prospera succedunt quos pater æquus amat.

Et quos

Et quos præsciuit conscripsit in æthere ciues,

Diuinæ sobolis pars ea signat opus.

Sciuerat ante Deus quos rex ad summa uocaret,

Nam quos attraxit, sanxit in astra duces.

Quid scribemus ad hæc ? si nos defendit olympus

Dia lacertosus quis foror arma premet ?

Nec Deus altitonans sibi rex, natoq; pepercit,

Quin nece fatali pignora chara daret.

Pignora chara tulit cum nato cuncta benignus

Donauit, fœlix quicquid olympus habet.

Quis furor electos, quæ lancinet ira sodales ?

Est Deus immensæ prosperitatis apex.

Aut quis iudicium pro rostris grande sonabit ?

Christus noster opus qui deitatis habet.

Qui sedet à dextris patris omnipotentis, olympum

Qui regit ad nostras commouet alta preces.

Eia quis langor charum proscribit amorem ?

Aurea quis sponsæ Christi dos arma teret ?

Pauperis, gladij turbatio, mentis & angor,

Non famis asperitas leue charisma notet.

Iam licet horrendos fati subeamus agones,

Cædat & infaustum funeris ara pecus

Vincimus, & pietas supero nos iungit amori,

Propter dilectum tollimus arma ducem.

Id scio quid neq; mors, neq; uita, nec angelus usquam  
Comiter adfixum regis amore trahent.

Sic neq; uirtutes coeli, neq; mira potestas  
Cordibus extinguunt quas dat Iesus opes.

Capite IX. dolet Apostolus de Iudeorū  
obstinatione, et Iudeos à promissione pa-  
trum nō esse frustratos ostendit, et Gen-  
tiles uocatos esse commemorat.

**Q**uod loquar hic uerum uero mihi testis Iesus.  
Conscia mens perhibet, quid mihi pneuntat  
Et mea subtristes conturbant pectora curæ (sonat.

Anxia continuus pungit et ossa dolor.

Barbarus à Christo flagrans anathema petebant,  
Rebus ut Essæis pars generosa foret.

Israëlitæ germanos ipse probauit,  
Testamentalis gloria gentis erant.

Semen adoptiuum sacratæ sanctio legis,  
Præstans obsequium, religiosa fides.

Nobile maiores traxerunt semen ab illis,  
Hinc genus humanum rector olympus habet.

Sed neq; sancta Dei ceciderunt uerba tonantis,  
Nec minus accreuit cum probitate salus.

Israëlitæ non circumcisio gentes,  
Non Abræhe foetus pignora dicta ferunt.

Sanctus ab Isaaco genitore uocabitur orbis,  
 Idq; quod est carnis non sacra iura probant.  
 Gemmea promissæ qui gestant stemmata plebis,  
 Grande sub egregio semine nomen habent.  
 Clara sacro sanctæ sunt hæc mysteria uocis,  
 Ad tempus uenio, dum Sara mater adest.  
 Non genitrix tantum fuit illa, Rebecca secundo  
 Isaacum generans pignora uentre tulit.  
 Fatalis nondum uiuaces foetus ad annos  
 Venerat, hic ratio sensibus impar erat.  
 Ut data uoce fides, ut uis electa maneret,  
 Ex operum cursu non solidatur amor.  
 Non operis ratio, sed sola uocatio magnum  
 Reddit, maiori seruiat umbra minor.  
 Scripta ferunt, satis est Iacob, mihi, blandus & hospes  
 Atq; odijs Esau pro grauitate tuli.  
 Quid referemus ad hæc? princeps hinc regnat iniquus  
 Absit, ut atrocem profcrat aura Deum,  
 Fatidico dixit Mosi dominator olympi,  
 Partiar omni fluias cui miserebor opes.  
 Non currens id habet, neq; sunt ea iura uolentis  
 At fatale Dei fit miserantis opus.  
 Voce quidem tenui quondam Pharaona sequutus  
 Rex cœli, magnum misit ad ima sophos.



Ut mea te uirtus, mea lustret imago cieui  
 Nomen, ut altithronum conscia terra ferat.  
 Ergo dei bonitas cuius miseretur, amorem  
 Ardet & indurat feruida bilis humum.  
 Præter id alta rogas, diuos quis pellere sensus  
 Nouerit? atq; deo quis dare uerba potest?  
 Nunquid ait figulo figmentum, dic age plasles,  
 Cur me sub tali finxeris esse uirum?  
 Non potis est parili massa duo uascula fictor  
 Fingere? quod uitium quod ferat altus honos?  
 Abstiniuit portans animos, irasq; potentes  
 Edomuit, pactum qui miserantis habet.  
 Quo sacra dexteritas referet pietatis asyllum,  
 Viset inexpletam gratia rara domum.  
 Non Solymos tantum, sed opus de gente uocauit  
 Ut sacer Oseas ore propheta refert.  
 Non plebem, plebem non lectam ad summa uocabo  
 Qui non demeruit ius pietatis habet.  
 Hæc erit aurea gens, non plebs mea, in astra ferentur  
 Signa, uocabuntur, chara propago dei.  
 Esaias meminit, numerus si prolis abundet,  
 Aut domus Israël creuerit, orta legam.  
 Perbreue sublumi descendet ab æthere uerbum,  
 Consiciens paucis quod parat aqua salus.

Quo nisi rex Sabaoth misisset ab æthere semen,

Nunc homines Sodome, nunq; Gomorra forent

Quid Romanus ad hæc? quid gentes pneuma superbas

Iusticiæ docuit sensa tenere? fides,

Sensa tenere fides docuit probitatis, id ipsum

Non tulit Israël dexteritatis opus.

Quo fit ut ad stabiles non uenerit horrida terras

Plebs, fidei caruit relligione manus.

In Sion lapidem populi cecidere procaces,

Petra repercussis scandala cæca tulit.

Capite X. orat Apostolus pro Iudeis,

quod iusticia faciens dignum uita æter-

na, solum ex lege & fide Christi.

**O**Ro quidã fratres cor firmũ prompta uoluntas

Hos diuinus apex, hos iuuet æqua salus.

Testis ego fiam quod coelica iura sequuntur

Secordes, stabili dum ratione uacant,

Gnauiter ignorant quæ sunt fora diua tonantis

Quæ sua sunt spreto numine uota replent.

Finis enim legis processit origine Christus,

Hoc ad iusticiam qui pia credit habet.

Scriptis item Moses, quem legis homantio cursum

Triuerit, hoc ipsum uiuere summa iubent,

Quæ fidei sacro ueniunt insignia tractu,

Iura sacro sanctæ religionis agunt.  
 Sic ait: haud iactes, quis scandet in æthera? Christum  
 Hoc est à supera sede uocare ducem.  
 Nec simul id referas, en quis penetrabit abyssos?  
 Desine tartareas obterebrare bases.  
 At quid scripta ferunt? propè stat quod amabile uerbis  
 Corde graui teneas, sunt ea dona, fides,  
 Scilicet unigenam quod si fatearis Iesum  
 Quem Deus eduxit funere, saluus eris.  
 Iusticiam perhibet cordis fœtura, superq;  
 Alma serenato prosilit ore salus.  
 En sacra uox fertur Domino qui credit amantem  
 Seruat, & ex illo non perit ullus apex.  
 Non est iudæi, non est distinctio Græci,  
 Omnibus est eadem sub deitate fides.  
 Cunctorum dominus Deus unus, & omnibus idem,  
 Assurgunt dites qui sua fœta uocant.  
 Omnis enim casto quicumq; uocauerit ore  
 Sacro sancta Dei nomina saluus erit.  
 Credita cui nunquam fidei sacraria, uel qui  
 Cœlica despexit, uir sacer esse potest?  
 Aut quis ei credet quem non exaudiit usquàm?  
 Audiet ante loquax quàm fluat ore sonus?  
 Quid? nisi uocales mittantur ad arma ministri,

*Euangelistas non dabit aura uiros.*

*Quim speciosa piæ configunt oscula paci,  
Declamatoris qui graue munus habent.*

*Non Euangelio (tamen omnibus una uoluntas)*

*Credunt, impuros nec regit una fides.*

*Esaias meminit nostras quis credulus artes*

*Audiet? ergo data profilit aure salus.*

*Fit tamen auditus per Christi uerba tonantis*

*Tum sacer in uasto personat orbe sonus.*

*Et sonus illorum terras peruenit ad omnes,*

*Mundanos apices aurea uerba replent.*

*Nunquid, & Israël non nouit? ad oppida Moses*

*Diuertens aciem luminis æger, ait:*

*O mihi gens Solymæ præfertur adultera genti*

*Insipiens populus plus mihi carne placet.*

*Tum canit Esaias, quæ non me turba petebat*

*Inuenit, se des gens aliena sedent.*

*Dicit ad Israël, te tota mente uocauit.*

*Et quia surdescis, barbara flexit amor.*

*Cap. IX. reprimit Apostolus genti-  
lium insultationem contra Iudæos, po-  
nitq; Iudæorum præsentem excacatio-  
nem, et tandem concluditur profunditas  
diuinæ sapientiæ.*



**D**ico sub hæc, nunquid populum uulgariter odit?  
 Absit: enim Solyma pars ego gente feror.  
 En ego stirps Abrahæ, me circumcisio sanxit,  
 Me quoq; Benjamin prætulit ara tribus.  
 Non Deus abiecit quem sciuit habere popellum,  
 Quos præsciuit apex summus in astra locat.  
 Eia quid uates Helias sermonibus orat?  
 Israël pro te uoce disertus ait:  
 O Deus ecce tuos gladij iugulare prophetas  
 Tempa ruere mali, rex tua solus ago.  
 Rex tua solus ago, cunctos disperdere uates  
 Tentant, reliquias quas superesse iubes?  
 Nubibus è superis statim uox blanda loquuta est,  
 Grataq; diuinus carmina strinxit amor.  
 Que Baalim statuas spreuerunt milia septem  
 Hos mihi seruauit sub paritate duces.  
 Sic grauis electos ditauit gratia cætus,  
 Rex Deus hoc saluus tempore compsit opes  
 Non opus extollit, Format nos gratia, uel non  
 Profluit à grato libera fonte salus.  
 Israël populus ( quod non habet ) ille rogabat,  
 Plebs electa manet, cæcula turba iacet.  
 Sic Deus impunxit miseros in secla sodales,  
 Lumen ne uideant auris aperta neget.

Mensa uiris laqueus fiat, sit captio merces,  
 Funeræ partis scandala & agmen agat,  
 Obducant hebetes mortalia pectora sensus,  
 Despiciant laceri cernua dorsa pedes.  
 Semper aceruabunt fatales turba ruinas,  
 Quò nequeant ( absit ) tollere in astra caput ?  
 Delictis horum sed fit satis aurea fruges  
 Gentibus, his studeant moribus esse pares.  
 Quod delictum sit opes, sit gaudia & orbi  
 Gentiles gazas fors Pharisea tulit.  
 Gentibus ista profer, dum sacro munere uates  
 Fungor, inexpertum non tacet orbi opus.  
 Forsitan hocce meus sapient pro dogmate sanguis  
 Ut reduces aliquot sub ratione traham.  
 Si grege disperso plebs altera surgat in agmen.  
 Barbara mortali pro uice uita subest.  
 Sancta quidem Solyme quondam libatio gentis  
 Massa, serax radix, frons & opaca fuit.  
 Quod si uernantes ceciderunt arbore rami  
 Non te pro fragili gloria tollat ope  
 Quum sit ut infelix tua res oleaster, in illo  
 Molliter insertum stipite robur habes.  
 Tollis pendentes ut pinguis oliua racemos,  
 Te socium radix arboris alma tenet

Non tu radicem, sed radix culmina portat,  
 Quod te mente feras, nil rationis habes.  
 Forsitan hæc iactas, scinduntur ab arbore rami,  
 Inferat, ut frondes pars generosa feram.  
 Optima coniectas in eos qui credere nolint,  
 Turbidus ætherea uenit ab arce furor.  
 At uerò fidei quando grauitate superstas,  
 Nil altum exuperes, credita iura time.  
 Si naturales damnârint cœlica ramos,  
 Formides ueniæ traxerit arma Deus.  
 Contemplare boni speciem, uultusq; sæueros,  
 Ex operum fructu quos sator æquus habet.  
 Si stet religio, te nunc beat aurea merces,  
 Si flectas alio pectus, ad ima ruis.  
 Vis maiora loquar? si plebs incredula mutet  
 Cor, laceras frondes inferuisse potest.  
 Quæ sciderit potis est attollere dextera truncum,  
 Et ualle amissas reddere numen opes.  
 Quum tibi natura frondes oleaster amaras  
 Proferres oleæ nunc sata pinguis habes  
 Quid proprio uirides facient in stipite rami  
 Cui naturali palmitæ fructus inest  
 Cognita Romani sunt hæc mysteria grandes  
 Ne tollant propria uos grauitate sophi.

Hæc ea causa subest, quod mentes error obiuit,  
 Attriuitq; Iacob scutica dura manum.  
 Intonuit feritas quò gentis adusq; propago,  
 Omnis & Israël salua caterua foret.  
 Scripserat Esaias: Sion peccata dolebit,  
 Libertas Iacob: Sion ab arce salus.  
 Ob Domini uerbum, propter uos effror hostis,  
 Quod uos electi, (& plebs mihi chara) greges.  
 Hos uocat, sic uult Dominus, nec poenitet usquam  
 Mentibus egregijs conseruisse manum  
 Sicut enim scelerem proceres aliquando fuistis,  
 Non ea credentes profluit unde salus.  
 En data succedunt iam uobis munera nunquid  
 Ardentes animos feruidus ambit amor?  
 Suggestit hæc pietas ut plebs incredula summum  
 Comiter agnoscat cunctipotentis opus.  
 O excelsa Dei bonitas, sapientia, quis te  
 Aut tua mortalis pandere iura potest?  
 Quis Domini stabilem sensum cognouit? & ipsi  
 Consuluit? tribuit quod referatur opus?  
 Ex ipso per eum quod in ipso cuncta supersint  
 Cui laus, iugis honos, astruit alma fides.  
 Capite xii. instruit Apostolus Ro-  
 manos tam in his quæ sunt ad deũ, quam  
 t s in his



in his quæ sunt ad proximum.

**O**bscuro uos fratres per Christi iussa tonantis,  
Barbara diuinus pectora mutet amor.

Este rogo sancti uelut hostia uiua placentes,

Ponite mortalem sub ratione manum.

Discite quæ Christi fuerit perfecta uoluntas,

Quæ uero coronatus parte quiescat amor.

Gratia suggestit quod uobis confero, ne plus

Este graues rigida sobrietate sopheri.

Quis deus astruxit fidei protendite partes,

Vnum quodq; suum pneuma repenset onus.

Corde licet sedeant quàm plurima membra sub uno,

Officium nec idem corporis actus habet.

In Christo multi sumus unum corpus, & alter

Alterius certe singula membra ferunt

Nil refert in re nisi gratia diuidat illum,

Quiq; suum donat missa pruina salem.

Sive prophetales studeant eoluere chartas.

Sive ministerij dextera cingat opus.

Instruit ut doctos fingat doctrina sodales

Perstat, in hortanda simplicitate docet.

Anxia sollicitum rectorem cura remordet

Compatitur miseris, nec simulatur amor.

Crimen abhorrentes æquatis rebus adhærent.

Præuenit

Praeuenit & charites fratris amicus honor.  
 Sollicitudo uigil domino famulatur, & ardet  
 Spiritus, ac gaudet qui tribulatur inops.  
 Vocibus instantes, sanctis & quando necesse  
 Auxiliatrices dent pia corda manus.  
 Da ueniam toruis, tibi nec maledicta refellas,  
 Nec procul offensum iactet amara iecur.  
 Gaudia letitiae, lachrymis supperadde planctus,  
 Sit comes audaci sub paritate labor.  
 Nil altum sapias, humiles captato recessus,  
 Perprudens solus nec tibi dogma feras.  
 Si mala uos quatiant discrimina: parcite uentis,  
 Ne malus obrumpat corda subacta furor.  
 Limpida compositos fingant documenta pudores,  
 Quo Deus in uobis, uos quoque laudet humus.  
 Si queat usque licet dent rebus cuncta quietem.  
 Vos ne uis agitet, contrahat ira pedes.  
 Scripsit enim Moses: haec sunt sacra dicta tonantis,  
 Quam referam iustis ultio nota mihi est.  
 Si maleuada famas rigidum compresserit hostem,  
 Pafce sitim potans aethere dignus eris.  
 Dicitur ut rapidum flagrans spirare calorem  
 Gratia, sic probitas ingeniosa malum.  
 Capite XIII. docet Apostolus mino  
 res

res per subuentionem & dilectionem superioribus obedire.

**S**ubdita mens omnis sit, amicta potentia fasces  
Tollat, id à superis quod ueneratur, habet.

Hæc ea telluris facies, quæ lustrat olympus

A patre sydereo dona superba nitent.

Nempe potestati tumida qui bile resistunt,

In tristes barathi præcipitantur aquas.

Nulla potentatus feritas proba pectora moret.

Impia sed toruum crimina fulmen agit.

Vis ne potestatis feritalia tela cauere?

Hoc age quod sanctum laus tibi blanda probet.

Ad bona diuinus proscribitur æra minister,

Si mala concutias iura sæuera time.

Non abs re gladium qui sternit ad ima nocentes

Gestat, onusta Dei signa tonantis habet.

Vos ita frugales tollat patientia seruos,

Non frameam propter, uos precor esse probos.

Fas & iura sinunt, ut prona tributa feramus,

A quibus impensas regis habemus opes.

Cui timor, aut quis honor, cui res tribuenda tributum.

Vestigat, huic pietas, huic referatur amor.

Nil præter socium fratres habeatis amorem,

Proxima qui refouet legis amator inest.

Lex diuina iubet, non sis obscœnus adulter,  
 Nec serus occidas, furta nephanda fuge.  
 Non falsos habeas in operta negotia testes,  
 Nec sacer exopta quod manus hospes habet.  
 Altera mandati si qua est præceptio, uerbis  
 Instauratur in his, omnia iungit amor.  
 Proxima compositos animat dilectio mores,  
 Ingeniosus agit munera legis apex.  
 Tempus adest ueteri quum pigra resurgere somno  
 Membra queunt, supera uenit ab arce salus.  
 Fallaces igitur tenebras pellamus, honestum  
 Lucis & auricomæ progrediamur iter  
 Non spumosa uenus, non commessatio uentris  
 Oppeat, aut demens ebrietatis onus.  
 Litis in aufractus non uos discordia portet  
 Delitias carnis pellite, cura nocet.  
 Indue uiuaces animos Romane, salutis  
 Ornamenta tuæ lucida Christus habet.  
 Capite XIII. Apostolus maiores hor  
 tatur ut ne inferiores cōtemnant, aut eos  
 scandalizent, sed eos pacifice ædificent.  
**I**nfirmum fidei uobis assumite uatem  
 Nec grauis errantem mordicus ungue notet.  
 Omnia sollicitus uenter se mandere iactat,



Qui gerit infirmum cor sibi rodat olus,  
 Is qui manducat (qui non sint forsan edaces)  
 Consulo ne uolucris dente cachinno premat.  
 Atq; ieiunat plena non iudicet aluum,  
 Hunc Deus absumpsit quem serus horror habet.  
 Tu quies es alterius qui scandala ponis in arcum,  
 Aut cadit, aut Domino est: nec uagus extat amor.  
 Perstabit certo, potis est Deus ima leuare,  
 Atq; leuata cito præcipitare gradu.  
 Cælorum motus cursu distinguit ab illo,  
 Perprudens totos iudicat ille dies.  
 Vnusquisq; suo sensu præclarus abundet,  
 Qui sapit arte diem, uim deitatis habet.  
 Et qui manducat, Domino manducat, & ipsi  
 Vnigenæ charites relligiosus agit.  
 Qui non manducat, Domino ieiunia soluit,  
 Sic uenit omni regens ad pia uota Deus.  
 Nemo sibi tantum uitales protrahat auras,  
 Nemo sibi moritur, nemo repente suus.  
 Suiæ quidem nobis uitales prendimus auras,  
 Seu morimur, Domini sub bonitate sumus.  
 Christus ad hæc fâti teretes lacerauit habenas,  
 In nece quo uiuis rex dominetur amor.  
 At uerò fratrem cur quasso iure prophanas?

Quid fratris lacero brachia dente quatis ?  
 Iudicis altithroni quum stabimus ante tribunal,  
 Omnibus æquale pars dabit una foros.  
 Scriptum est: omne genu, mihi flectitur, en ego uino ;  
 Rex Deus, immense dexteritatis apex,  
 Vnusquisq; suos, illic tentabit amores,  
 Pro ratione suum quisq; uidebit opus.  
 Haud igitur carpant alij quod fecerit alter,  
 Iudicet (ut censent scandala) censor agi.  
 Hoc scio quod spero, tantum mihi suadet Iesus  
 Omnia communi sunt bona scripta loco.  
 Si tuus ob molles frater contemnitur escas,  
 Vix charis amplexus cingit amica tuos.  
 Non cibus hunc perdat pro quo rex Christus atroces  
 Tartareæ mortis fregit athleta manus,  
 Non blasphemetur, nec opus uanescat in auras,  
 Astruxit nobis quod deitatis apex,  
 Crede mihi non est pars regni, potus & esca,  
 Sed pax iusticiam, gaudia flamen habet.  
 Qui Christo seruit domino famulatur, olympo  
 Perplacet, humanis uir quoq; gratus inest.  
 Hinc proba compositæ fulgescant munera pacis,  
 Tum bona pensemus religiosa sequi,  
 Non opus ente & robum pingues uilesat ob escas,  
 Fortibus

Fortibus assurgunt omnia munda uiris,  
 Omnia munda licet fuerint, tamen impia sordent  
 Scandala, quæ flatum garrulitatis agunt.  
 Estq; bonum uetitas homini non mandere carnes,  
 Parcere, & ardenti uertere labra mero.  
 Aut ea ( queis fluitans offenditur urnam ) cauere;  
 Molliter infirmos trux quatit aura pedes.  
 Tu fidei quantum gestas in pectore, tantum  
 Syderei coram fronte tonantis habe.  
 Ille satis felix qui se non iudicat in rem,  
 Quam bonus audita religione probat.  
 Si probus agnoscit quod manducauerit, orcum  
 Vendicat, instabilem corrigit æthra uirum.  
 Quicquid ab excelsa fidei propellitur arce,  
 Aut scelus, aut flagrans demonis ara subest.

Capite x v. hortatur maiores Aposto-  
 lus infirmos sustineant, & eos in bonū  
 promoueant ac se excusat cur Romanos  
 præsentī corpore non uisitauerit.

**D**ebemus fragiles stabili pro parte remissos  
 Tollere, quod tener est nil reputetur honor.  
 Vnusquisq; suo studeat placuisse sodali,  
 Ad bona syncerus nota feratur amor.

Rex sibi non placuit patiens tormenta labores

Mille ait excellens digero probra Deus.

Quicquid enim confert doctrix scriptura, notauit

Christicolis sapiens imperiosa sophos.

Vt per scriptorum solamina pectus olympo

Hæreat, incultos spes animosa docet.

Cœlica det uobis lex quid sapiatis, et æquo

Ore panomphæum clarificetis opus.

Sic rogo fraternos nexus captare uicissim

Fœdera diuinus qualiâ iunxit amor.

Christus Idumeis ut amica ligasse notaret

Vincula, stellatos flexit ad ima pedes:

Omnifator mira gentes pietate superbas

Iussit honorificum tollere in astra caput.

Vnde canunt Psalmi, laudent insignia gentes

Numina, sydereum pars numerosa ducem.

Esaias rursum, Davidis origine princeps

Surget honos gentis, spes, uigil orbis apex

Vnde poli rector sincera pace togatos

Vos regat, æthereus corda seueret amor.

De uobis refero, quod clara scientia magnos

Præficit, ignaros dogma monere potest

Fratribus ista meis audacter opuscula scripsi,

Cœlica quo sanctus facta minister agam.



Ad sacra barbaricæ demissa est chartula gentes,  
 Flamine quo celebri sanctificetur opus.  
 Laudis opes sacras mihi rex condonat Iesus,  
 Quas ego syderei patris ad arua feram.  
 Quæ mihi contulerit Christus, non audeo uates  
 Tollere, de nostra sint uelut orta domo.  
 Sedulus interpres pro gentibus arma probauit,  
 Illyricos habuit publica fama sinus.  
 Quæ fuerat Christi iam dudum nescia tellus,  
 Nunc uidet apricum sole micante iubar  
 Prodit ab ignoto quod non fuit orbe notatum,  
 Grandescitq; meo uomere tritus ager.  
 Propter id alta uetor tua pergama Roma uidere  
 Ad Palatinos hæctenus ire lares.  
 Orbe carens ultro, multis licet obsitus annis  
 Glisco tamen charæ gentis ad arua ferar.  
 Hispanum fiet quando deducar in axem,  
 Si mihi res uestro cedat amore frui.  
 Clara proficiscor uisum commertia, partes  
 Gentis Idumæe quo iuuet ista manus.  
 Pauperibus Macedo congescit Achaia questum,  
 Vnde manus præstet auxiliaris opem.  
 Gentibus his placuit fructum proferre laboris,  
 Hæc studet omni fluas mensa parare dapes.

Non bene quod sit opus dedignor, amore fruentes  
 Diuinus stabili fœdere iungat honor.  
 Mox ubi per fœctum, frugem signauiero, per uos  
 Protinus Hispanæ ducar ad arua domus.  
 Rem scio, ni fallar, Latios dum uidero fines,  
 Fœlicem faciet gratia dextra chorum.  
 Obsecro uos fratres per Christi pneuma tonantis  
 Quo uestris precibus me pia fata iuuent.  
 Vestras oro manus infâstas soluere partes,  
 Quas Solymus misero iure tuetur apex.  
 Tunc grauis acceptos referet Iudæa labores,  
 Dum sacra largifluam senserit ora manum.  
 Ad uos perueniam donat suprema uoluntas,  
 Hæc sunt quas posco iura quietis opes.  
 Autor inexhaustæ princeps & imago salutis  
 Concedat uobis munera pacis Amen.

Capite X VI. proponit Apostolus quædam exempla bonorum hominum ad imitandum & ad perseuerandū inducit.

**Q**uæ præit antistes Cenobris cōmendo sororē  
 Si uestris egeat, tradite quæso manus.  
 Cernite conspicuum quàm gratia dia pudorem  
 Obtegit, æthereus quanq; re iustat honor.  
 Assint illa mihi, plerisq; indixit amorem.

Splendida quo cultu forma probetur, habet.  
 Anxilla ac Priscæ Christi donate salutem,  
 Hu nuncum pro me supposuere caput.  
 His ego ne solus condignas profero grates,  
 Sit uolo gentili gratia blanda choro.  
 Viuat Epænetus, quem diues Achaia sanctis  
 Prætulit, & Mariam castus inuret amor.  
 Andronicum & Iuniam mihi clade saluto sodales  
 Qui me præclara nobilitate ualent.  
 Urbano, Ampliato, Stachyn iungatis Apellem,  
 Est in Aristoboli (pars mihi chara) domo.  
 Tum mihi Narcissus, tum gens Herodia cordi  
 Insidet, & Persis, tumq; triphosa soror.  
 O mihi Alekti cum chara matre sodales  
 Phlegontes, Patrobus, Ruffus, & Herma uiri.  
 Iulia, Philologus, sacer Asyncritus & Hermes,  
 Quiq; dicant stabili religione chorum,  
 Mollia fraternos compungnant oscula nexus,  
 Qualia sydereus compluit ora lepos.  
 Christiginæ proceres uos pura mente salutant,  
 Dulcis ab immenso panditur orbe salus.  
 At uos commoneo cœtus uitare dolosos,  
 Quos non Christus agit, sed gula turpis habet.  
 Mollia blandiloquæ fallunt præcordia uoces.

Theſſala ſub roſeo pharmacæ melle latent  
 Veſtra per immenſum probitas educitur, orbem,  
 Gaudia de uobis delitioſa fero.

Ad bona uos ſapiens patranda coronet ocellus.

Ad mala ſint lenti concutienda pedes.

Pacis item fautor Satanam uelocibus armis

Conterat à ſuperis auxiliariſ apex

En meus adtutor Timothæus fortis Iaſon,

Soſipater, Lucius, uosq; ſaluto patres.

Tertius hanc ſcripſi Domino mihi dante ſalutem,

Vt memor & ueſtri prece ſubefſe ferar.

Quo fruor hoſpitijs, uos cuncta, ſalutat Eraſtus,

I frater idem ſocio munere quartus agit.

Gratia, pax uobis ſub Chriſto detur Ieſu,

Cui laus, imperium, uita perennis, Amen.

DIVI PAULI APOSTOLI GENTIVM

ac Chriſti Eccleſiæ doctoris ad Corinthios Epiſ-

ſtola prima, eodem Franciſco Bonado

Paraphraſte.

Capite I. laudat Corinthios Apoſto-  
 lus, ad concordiam illos hortatur, qui di-  
 cunt ſe baptiſatos à diuerſis, & quod  
 deus ſtultam fecerit huius mundi ſapi-  
 entiam.





Aulus athleta Dei cum Sosthene  
 fratri Corinthi. (uos.  
 Christicolae diua pace salutat ad  
 Gloria uerbigenae, pax pneuma  
 uocantibus ipsum (sa gregi.  
 Sanctorumq; sacros res pretio

Immensas retro grates, ago summa tonanti  
 Vota, quod à Christo diues abundet honor.  
 Collustrant animos lux clara, scientia, uerbum,  
 Quod nihil abfuerit gratia testis habet.  
 Coelica firmabunt stupidas oracula mentes,  
 Quò ueniat iudex usq; fidelis amor.  
 Christus amor patris fulgens clementia caelum  
 Temperat unde sumus clara propago Dei.  
 Per sacra uos fratres rogitò per nomen Iesu,  
 Hoc ipsum sapiant pectora uestra sophos.  
 Impia ne sacros denigrent schismata sensus,  
 A uobis solidum nec laceretur opus.  
 Este rogo pugiles, eadem sententia. & idem  
 Perspicua sensus dexteritate uiri.  
 His qui sunt Chloes de uobis publica fertur  
 Fama, susurriones per leue uulgus agi.  
 Si uerbum memini, quod quisq; profatur, & inquit  
 En ego sum Pauli, fautor Apollo meus.

Ast ego sum Cephæ, mihi dat lex dogmata Christus

Vt quid? partitum pneuma redemptor habet?

Nunquid pro uobis Paulus crucifixus? eodem

Vel baptismales dat sacer imber aquas?

Gratus ago charites, quod uestrum nemo rigatur,

Lota nec è manibus membra suere meis.

Excipio Gaum, te sacro fonte uocauit

Crispe domum Stephani lauit & ista manus.

Cetera nescio si baptismate tinxerit hæc pars,

Non baptisia, pia, sed tuba gentis agor.

Sic tuba gentis agor, non ut sapientia uerbi

Polleat, ut crucis hoc destituatur opus.

Nempe crucis uerbum est flagrans dementia stulto,

Atqui dogma sacrum (sanctificantur) habent,

Esaias cecinit, ueracia dicta loquutus,

Expertos ambigam, tum reprobabo duces,

O ubi uir sapiens? ubi scriba? ubi doctus aruspex?

Nonne Deus stolidum finxit in orbe sophos?

Sed quia non huius mundi sapientia nouit,

Quis foret æterna prosperitate modus,

Complacuit supero sermonis cauma tonanti

Per uada stulticie nomina uatis agi.

Cosmica Iudæi passim noua signa requirunt,

Ventilat omnifluum Græcia docta sophos.

Nos autem Christum crucifixum pandimus ipsis  
Scandala Iudæis, Gentibus opprobrium.

Alma quidem uirtus Solymis, Græcisq; uocatis

Perplacet, æqua sacer compluit ora lepos,

Quod Deus inspiens, homines sapientia credunt,

Quod deus infirmum, fortius ima putant,

Cernite spectro uiri quod non caro pigra potentes

Ingenua fastus nobilitate facit.

Sic Deus elegit fatuum quod segregat orbis,

Quò uacua pereant sub leuitate sophi.

Tum manum infirmos elegit honora pudores,

Quò leuis effringat fortia iure labor.

Hinc contemptibiles præuenit honore pusillos

Ut quod inest altum substituatur opus.

Quod fit ut elatum retrahat caro surda nitorem,

Aetherei uultus cernua corda uident.

A patre coelesti sumus inclyta regis origo,

Qui sophos excellens dexteritatis habet.

Iusticiæ stabili socialia fœdera nexu

Accit ut arcano iure fouetur amor.

Vnde triumphatrix quem gloria mordet, olympum.

Cernat, & omni sonum iactet in alta melos.

Capite II. ostendit Apostolus se apud  
Corinthios non usum fuisse excellentia  
secura

secularis sermonis qua utendum est inter perfectos, qui possunt ea capere, ut sunt homines spirituales.

**A**D uos cum fratres properasse, non ego Christum  
Non ego sublimi plasmate cauma tuli.

Nil ego iactavi me scire nisi quod Iesum

Personat, aut uictor quid crucifixus habet.

Ne pavor usque; metus me longa tenebat erymnis.

Quando Corinthiacis incola fessus eram.

Non persuabiles habuit mea cantio uersus,

Rauca, sed almissonum bucca sonabat opus.

Dum uacat humanis rebus sapientia uerbi,

Cœlica perprudens tendit ad ora sophos.

Haud sophos eloquimur quid friuola secla probarunt.

Ad quos res sapiens pneuma serenus alit.

Hanc Deus abscondit per tempora multa pœsim,

Non hominum tanta mens uaga sciuit opes.

Si fortasse sacra nossent grauitate potentem

Non crucifixisset gens pharisæa Deum.

Scribitur hæc oculus non uidit, in aure nec illuc

Insonuit, quod habet rex super astra bonum.

Auribus id nostris descendens gratia cœlo

Pneuma coruscanti dexteritate capit.

Flammifer ille domos superas scrutatur? & orbem



Spiritus, & fallax quicquid abyssus habet.  
 Quis sapit hamani quæ sint penetrabilia sensus ?  
 Hoc trahit à cæco spiritus ore sacrum,  
 Sic ea quæ bona sunt nemo percepit aruspex,  
 Solus id arcanum spiritus omen agit.  
 Huius item mundi non textile pneuma tenemus ?  
 Quam deus informat uim pia corda tenent.  
 Prudentes uideant summo dispersa tonante,  
 Quæ non uir sophiæ spiritualis habet.  
 Non animalis homo perponderat, huc quid olympus  
 Adferat omnipotens uel quod in astra potest.  
 Stulta tenent hominis præcordiacrimen & error  
 Dum sacer internam iudicat orbis humum.  
 Spiritualis homo perprudens iudicat orbem,  
 Nullius inde bonus iudicis arma timet.  
 Sydere quis domini sensum deduxit ab alto ?  
 Doctus & instruxit quo deus ampla potest ?  
 At uerò sensum, qui & Christi numen habemus,  
 Arcana sapimus coeliterentis opes.

Capite III. reinouet Apostolus erro-  
 rem Corinthiorum, quod aliquibus ec-  
 clesiæ ministris nimis attribuebant. Et  
 dicit de ædificatione super lignum, fœc-  
 num & stipulam, & quomodo sapientia  
 mundi

mundi stultitia est apud Deum.

**C**ontinui fratres uobiscum clara profari,  
Nam mera carnales non rigat unda cibos.

Pectoribus teneris lac dulces fertur in esus,

Atq; grauis iuuenes subnecat esca thoros.

Vix poterat crudum, nec adhuc ualet ardua pectus

(Quid sit carnalis lingua) trophea loqui.

Zelus is inter uos strepit, & contentio fertis,

En ego sum Pauli, fautor Apollo meus.

Talia dum iactant homines sunt, heus quid Apollo ?

Quid Paulus? nihil, hæc pars deitate uacat.

Hij sunt precones per quos uulgatur in orbem,

Crescit & induperat relligiosa fides.

Semina conspersi, sata missa rigauit Appollo,

Gramina cunctipotens auxit adulta Deus.

Non ita qui spargit, neq; qui rigat esse probatur

Incremento potens donat amœna Deus.

Qui genitale ferit, qui semen inebriat, unum

Sunt, tribuit solers præmia cuiq; deus.

Estis ager domini, uernans foetura tonantis

Auxiliatrices fertis in astra manus.

Pars uigil ut sapiens constructor atrociam ieci

Fundamenta, Dei gratia fulsit opus

Tum super ædificat ueniens in castra sodalis,

Vnusquisq; suum cernit & implet onus.

Principium facti locuples donauit Iesu.

Præter quod positum est, ponere nemo potest.

Argenti speciem super hoc qui duxerit aurum

Fulgebit rutilans excubitoris apex.

Magna dies domini (uelut igne probabitur aurum)

Monstrabit, fuerit qualis in arte labor.

Tum quod erit structum, si manserit, aurea merces

Ditabit quod iners arserit anget opus.

Integer & sanus sic adseruabitur hospes,

Ceu leuis æterno luceat igne rogas.

Eia age, quis dubitat templum uos esse tonantis?

Nonne sacrosanctum pectora pnuma fouet?

Hoc si quis templum celeri uiolauerit ira,

Disperdet uindex martia castra deus

Fortibus alta dei subsistunt templa columnis,

Nemo se prodat, uos habet illa domus.

Huius enim mundi sapientia uana tonanti

Creditur ars, pereunt cum grauitate sophi.

Conditur excellens quid fallax cogitet astus,

Novit & imprudens cor quid inane gerat.

Haud fauor humanus uos tollat honore carentes

Non laudis cumulum frigida portat humus.

Paulus, Apollo, Cephas, mors, uita, futura, uel orbis,

Omnia

Omnia sunt uobis, quam tibi lingua places?  
 Sors humana places, cibi sunt hæc omnia, Christi  
 Pars sumus, & Christus uim deitatis habet.

Capite IIII. arguit Apostolus iudicij  
 temeritatem de contemptu quorundam  
 ministrorum, ac infisit eorum correptioni.

**S**IC nos sciscat homo uates, Christiq; ministros

Arcanas summi ferre tonantis opes.  
 Inter precones Domini res quæritur, usquam

Comperiat opus qui probitatis agat.  
 Hoc mihi pro minimo est à uobis iudicet, aut uir

Corrigat humanus, pars mihi rara subest  
 At neq; mi iudex, nec sum mihi conscius, ex hoc

Quod mihi sic placeam, iudicet aqua Deus  
 Ante dies Domini quam uenerit illa tonantis,

Efferat uocalem differat ira modum.  
 Si præclara tonans mea uiderit ora panomphæus

Aurea tunc merces, uel mora iugis erit.  
 Hæc propter fratres habui, simul egit Apollo,

Discat ut in nostrum turba uenire sophos.  
 Vnus pro reliquo sæcundum iactet amorem

Ne uelut informis præcipiatur honor.

Quis te discernit? quid habes quod non det olympus?

Si



Si factam iactes pars tua laude uacat.  
 Sic habet oppletos præpinguis gratia ciues,  
 Conspicuumq; sonat dexteritatis opus.  
 Egregios apices, sublimia regna tenetis,  
 Dissimiles uestra disparitate sumus,  
 Vltimam uestros aliquando trahamur ad axes  
 Hic ubi solenni detur amore frui.  
 Id puto quod uereor, ne turba remissa feramur.  
 Mortibus addicti culta per arua greges.  
 Sortibus humanis sumus huic spectacula mundo.  
 Vos propter Christum docta caterua sophi  
 En nos infirmi, uos fortes, clara propago,  
 Nosq; sub obscura lampade turba sumus.  
 Nos sitis, esuries, nos nuda repellit egestas,  
 Cædimur instabiles conditione uagi,  
 Marte laborantes proprio maledicimur, hisq;  
 Res bene succedat poscimus alta uiris  
 Blasphemus patimur, fontesq; in uerbere dextras  
 Sufferimus, nec agit fors maculata uices.  
 Lurida tabificæ sumus in præludia sordes,  
 Noxiâ de nobis cantica mundus habet.  
 Garrulus aut fallax uates non carmina scribo,  
 Sed uos hortatur pacis amicus amor.  
 Si uelut insignes habeatis mille magistros,

Vnus ob hoc princeps unus in orbe pater.  
 Sic ego uos genui, dedit hoc mihi semen Iesus,  
 Esto mei soboles æmula turba precor.  
 Ad uos concessit noster Timotheus amicum  
 Sumite, quas doceo sustinet ille uias,  
 Vos ita uos monitos habeat, ne mordicus ad uos  
 Transferar, inflatos corripit ira greges.  
 Ad uos concedens ( si fas mihi detur ab alto )  
 Festinanter agam dexteritatis opus,  
 Gnauus in experte non turgida pondera noscam  
 Vocis, aqi uirtus sola per alta potest.  
 Gratia sermonis, nec lingua, sed inclyta uirtus  
 Clara Panomphæi munera regis habet.  
 Quid uultis ? ueniam nodoso uerberare toruus ?  
 An clemens animis ? an bonitate sacer ?  
 Capite v. arguit Apostolus fornicatio-  
 nis uitium & pœnam adiungit, & radi-  
 cem culpæ reprehendit cum negligentia  
 correctionis.  
**P**Rôh scelus inter uos auditur adultera sordes,  
 Patris ad uxorem dura libido fluit.  
 O scelus in stupidas uenit hæc dementia gentes ?  
 Tam patrat infandum barbara turba nephas  
 Hoc super inflatur, lachrymas nec plorat ocellus,  
 Nec

Nec miser incurritur qui graue torsit onus.  
 Corpore si desim, tamen illic pectore praesens  
 Fio uelut iudex uindictet illa tonans,  
 Interitu carnis scædus glomeratur adulter,  
 Prodat eum Satanæ, tendat ad ima rubor.  
 Tendat in astra metus, quum uenerit hora furoris  
 Conscendat superos munda uirago lares.  
 Vestra decore uacat laus, gloria candet inanis,  
 Num grauidas fruges azyma pauca trahunt?  
 Expurgate uetus fermentum, sicut honestas  
 Vos monet, estis adeps azyma, gentis honos;  
 Christus enim nostrum libauit pascha, sereni  
 Tam sacrosanctas nunc epulemur opes.  
 Non in fermento ueteri, non mente superba  
 Nobilis ambrosias sumite turba dapes.  
 Scitis enim resono quid cantet epistola uersu,  
 Neu sacra cum mœchis concio ludat, habet.  
 Vobis famulans, si raptor, auarus, adulter.  
 Tollantur medio, uos nouus orbis amat.  
 His non misceri docuit mea pagina rebus.  
 Nec sanctus pereat religionis apex.  
 Inter uos si quis fur, potor, adulter auarus,  
 Nec mihi, nec uobis credite frater erit.  
 Quid mihi, quid prodest, quæ constant facta notare?

Quod latet abstrusum nōne probatis opus?

Qui foris est sensus, solers prudentia uitæ

Respicit, omnipotens intima sensa Deus.

A uobis actus precor hinc auferte cruentos.

Ne malus accingat pectora casta pudor.

Capite VI. arguit Apo. Corinthios de iudicibus corā quibus litigabant, ac causis quas inter se habebant, & reuertitur ad fornicationis uitiū redarguendum.

**A**vdet quis uestrum motare labella? nephando

Dicere uir reprobis pectore rostra tenet?

Nescitis quoniam sacer hæc scrutamina mundus

Vendicat? humane sunt super æra manus.

Quod si mundanos habeat censura pudores

Iudex pro minimis uester ocellus erit.

Angelici ueniunt addiua negotia tractus,

Quin potius uester fertur ad ista labor.

Vultis colludam? si uiles sacra ministros

Res habet, arbitrij iura seuera ferant.

Inter uos sapiens non est qui possit ocellus

Cernere, uel rectum dicere frater habes.

Hæc apud infaustos ardet contentio fratres

Differit horrendum barbara turba scelus.

Diors acuit crimen, subeunt delicta cubile;



Se probat infamem, qui sibi crudus inest.  
 Heu quid in offensos, quid olentia sulphura uultus  
 Ponitis? hostilis fertis ad ora dolos?  
 Fingitur humanae flagrans iniuria sorti,  
 Germanas fraudat frater auarus opes.  
 Discite, nescitis quod stellans punit olympus,  
 Quod scelerum noxas uir sceleratus habet?  
 Fascinet incautos ne quondam subdolos error,  
 Ad sacra deuinctos ducite templa pedes.  
 Idolis famulans, non mollis, adulter, auarus,  
 Ebrius, impostor, coelica regna tenent.  
 Hac sub mole graues nunc pars emuncta fuistis,  
 Moribus insignes uos modo Christus habet,  
 Omnibus adiungor, sed non mihi congrua fiunt,  
 Nullius inuenta sub ditione trahor.  
 Esca pigro uentri famulatur, uenter at escis,  
 Talia cunctipotens destruet antra Deus.  
 Corpus honestatis pudor, & non ipsa uoluptas  
 Attrahat, illa Deo uiuat imago duce.  
 Nonne pater summus regem commouit Iesum?  
 En eadem uirtus nos super astra feret.  
 Quin uos ignorat Christi membra esse tonantis?  
 Illustriq; sacrum semen habere polo?  
 Christigenae portans clarissima membra salutis

AD CORINTHIOS.

323

Abfit ut obfcenæ cor meretricis agat.

Si quis probroſæ lateri meretricis adheret,

Vnum perficitur corpus, & una caro.

Mens ſyncera Deo ſi forſan adheret, olympo

Viuit, ubi flamen ſpiritus unus habet.

Blanda uoluptatis commenta cauete, libido

Et quod inexhaustum uirus amara ſpuit.

Que patrauit homo iam ſunt extraria, corpus

At proprium uitians pradiſt acuta uenus.

Tu quis es ignoras, quod templum pneumatici almi

In propria uecors milito carne geris.

Non eſt crede mihi tua que te luſtrat imago,

Ancillaris, habes ſub patris ære manum.

Emptio, minimi perſtas ſummi foetura tonantis ?

Ergo Panomphæum ſub tua corda ſeras.

Capite VII. inſtruit Corinthios ma-  
trimoniũ contrahentes, ac deinde matri-  
moniũ pro meliori bono fugientes, ſiue  
in continentia uirginali, ſiue uiduali.

**V**estra mihi fragilem mandauit pagina ſenſum

Sanctius eſt hominem non muliere capi.

Quo Veneris curas fugiat crudelis adulter,

Vir colat uxorem, ſœmina blanda uirum.

Credita uir prudens uxori munera ſoluat,

Hinc quoq; solerti fœmina culta uiro.  
 Non mulier totas communi corpore uires  
 Cingere, nec solus uir sua membra potest,  
 Sic tenet accinctos communis & æqua potestas,  
 Vxor habet sponsum, uir mulieris apex.  
 Haud genium fraudet binis concessa libido,  
 Ni sacer assensus forsitan illa roget.  
 Si celebs exhinc geminas concessio partes  
 Segreget, ad priscum regrediantur opus.  
 Ne toruus Satanas molles in membra susurros.  
 Pingat, & inconstans lancinet ossa pudor  
 Non iubet imperium, facit indulgentia crimen,  
 Vos tales ut ego sum precor esse uiros.  
 Vnum quodq; trahit, uel habet sua gratia donum,  
 Hos alius mores ornat, id alter habet.  
 Dico hæc non nuptis, uiduas exhortor, ut ipse  
 Persistant, uel agat connubialis hymen.  
 Nubere sanius est quàm flammis acribus uri,  
 Obruit instabiles impetuosa Venus.  
 Hortor, & alta monent quos alligat usq; iugalis  
 Tæda, maritales semper amare thoros.  
 Quod si forte uiro mulier discedat, in æuum  
 Abstineat spretum sollicitare marem.  
 Vel flagrans repetat coniux inuupta cubile,  
 Non uxor

Non uxoria uir fœdera rumpit iners.  
 Si quis habet sponsam, non sit licet illa fidelis,  
 Dum uenit assensus compare semper erit.  
 Si qua uerum teneat non impia sponsa ferocem,  
 Perpetuos uiuant si uelit ille dies.  
 Vir malus erigitur per sponsæ uota fidelis,  
 Sponsa maritali sanctificatur ope.  
 Barbara pollutum tractaret origo crudorem  
 Aurea sed nitidum splendet in astra genus.  
 Quod si uincla ferox linquat socialia sponsus,  
 Libera mens pariter corda fidelis amet.  
 Non soror, aut frater leges condonat iniquas  
 Ad sacra nos Christi templa uocauit apex.  
 Scis age dic prudens quod seruet sponsa maritum?  
 Aut scis uir sponsam te moriente mori?  
 Non ea sic calles? insunt mysteria, summus  
 Has pater agnouit dexteritatis opes.  
 Ambulet ut quisquis per iura suprema uocatur,  
 Sicut ut in sanctas sunt stabilita domos.  
 Circumcisa cutis non hic præsentia iactet,  
 Gentilis spernat quæ Phariseus olet,  
 Circumcisio dic quid habent præputia? nil sunt  
 Præter id obserues quod sacra iussa tenent,  
 Vnu quisq; suo sic perstet in ordine: si sis



Seruus, id implores liber ut esse queas.  
 Qui seruit Domino, libertus in aurea tendit  
 Secula, quo Christi regna perennis agat.  
 Empta salus pretio uideas ne magna pusillis  
 Credas, uel posita dexteritate uates.  
 Nomine quo fuerint maneant in claustra uocati.  
 Quisq; sua fiat religione sacer.  
 Tradita Virginei non curant dogmata coetus,  
 Consilium super his ad pia uota fero,  
 Autumo felices ( instant dum tempora) si sic  
 Robusti maneant exagitare choros.  
 Neu pete soluaris te candida si tenet uxor,  
 Si uiduus fueris, uincla secunda fuge  
 Vir neq; peccabis te si quaesuerit uxor,  
 Tum neq; si mulier nupsertit aqua uiro.  
 Dulcia mordaces addunt limbia curas,  
 Vnde uoluptatis portio rara subest.  
 Quid superest? habeat si uir mera uincula sponsae  
 Ut mulierem suo iure solutus agat.  
 Qui flent non flentes, gaudens non gaudeat, inde  
 Non possessor emens, res sit in orbe nihil.  
 Mutatur terræ facies, uariatur & orbis,  
 Friuola nunc teritur quæ rosa nuper erat.  
 Mollia rodentes soluant præcordia curæ

Solertes animos sollicitudo rapit  
 Qui sine spinosa prudens uxore quiescit,  
 Quo placeat domino liber is esse potest.  
 At qui sollicitus misera cum coniuge dormit,  
 Vxori placeat nocte dieq; studet.  
 Cogitat hinc uirgo mulieaq; innupta recurrit  
 Viribus an sanctus quæ sapienter agat.  
 At quæ iuncta uiro terrestres circinat usus,  
 Rebus & in magnis blanda uirago micat.  
 Perprudens moneo quod uobis utile fiat,  
 Liberius ualeant semper ut alta peti.  
 Non laqueum iacio, sed honestas tendit amorem,  
 Quo sacrosanctum perficiatur iter.  
 Si se quis turpem uideat, noritq; prophanus  
 Nubile quod sua sit uirgo datura iugum.  
 Quod uult is faciat, quod oportet adulta necesse,  
 Si nubat nihil est quod pius erret amor.  
 Qui posuit (dum iure potest) seruare pudorem  
 Egregium certe format & implet opus.  
 Connubio propriam (benefit) qui nequit & haud quam  
 Iungit, habet melius corpore casta soror.  
 Legibus adstricta est mulier quo tempore uiuit  
 Vir, quod si iaceat lege soluta manet.  
 Cui uult, nubat, erit res inde beator, ut sic

*Suadeo, permaneat, dum sacer augur inest.*

Capite VIII. Apostolus ostendit scientiam non ualere, nisi secundum charitatem sit ordinata, ac iudicat ueritatem de falsis, idolothytis, deinde arguit scandalizantium temeritatem.

**Q**ui sophiæ partes, qui clarum numen habemus  
Idolis latum spernimus, unde sophos?  
Sic charis ædificat uesana, scientia pectus

Inflat, & hinc stupidos trudit ad ima pedes

Si quis se, quicquam iactet callere, quiescat

Aut prudens humilem discat habere modum.

Si quis amat superum (redamatur & ille) tonantem

Aethereo meruit uir sacer ore coli.

Vana sub hæc carnes pascunt idola prophanæ,

Sint licet in mundo talia fata nihil.

Quamuis terra graues iactarit & æthera diuos,

Est tamen omniregens solus in orbe pater.

Vnus in orbe pater Deus, ex quo cuncta per ipsum

Omnia, & ex ipso cuncta creata uigent.

Vnus item princeps per quem sunt cuncta, per ipsum

Omnia consistunt, omnia Christus habet.

Non tamen in cunctis est clara scientia, quidam

Fallaces pingunt in simulacra deos

Nummeribus uanis animæ pascuntur inanes,  
 Infirmumq; cedit sub nigra centra pecus.

Non nos esca deo commendat, edentibus audax

Inuidet ubertas, nec quatit ægra fames.

Effrenis uereor ne forte licentia toruos

Reddat & incautum uindictet ira gregem.

Regis ad exemplar solidus si uiderit auspex

Idolis positum mandere, firmus erit.

Conscia fraternæ mortis damnaris origo,

Propter quem Christus mortuus extat eras.

In Christum si sic turbatos ire sodales

Cogitis, & miserum fertis ad ima scelus.

Esca meo fratri si forsã scandala ponit,

Non manducabo (scandala sintq;) dapes.

Capite IX. inducit Apostolus Corinthios ad uirtutis perfectionem sui exemplo, atq; currentium in stadio.

**N**um Christum uidi? num liber? Apostolus? ut uos

Illustres habeam dexteritate uiros?

O quàm clara meo geritis signacula cursu,

Missã sed à superis dicor in orbe fides,

Hæc apud hos qui me taxant defensio cursat,

Nunquid communes protulit urna cibos?

Circuducendi nobis datur æqua potestas



Ut mulier ueniat sub sacra uela soror.  
 Hec nostri fratres soli mysteria portant?  
 Barnabas uel ego solus ad illa uocer?  
 Quis se bellipotens ad martia suscitet arma,  
 Ut proprio uecors munere uiuat eques?  
 Aut quis pampineas uites plantauit arator,  
 Nec trahit è dulci bacchica iura mero?  
 Quis gregis est pastor, nec lac sibi dulce pitissat?  
 Succida lanigeræ uellera gestat ouis.  
 Non ut homo uates qui desim uera profari,  
 Comiter humanis uocibus ista loquor.  
 Lex quid ait, sanctus notat hæc oracula Moses,  
 Arida ruricolæ quis bonis ora ligat,  
 Sit licet hæc domini de bubus cura uel ad nos  
 Expertes animi uerba soluta uolant?  
 Omnibus ut profint tractantur arundine uersus,  
 Quo legat hinc fructus debet arare sator.  
 Dum mea cœlestes aspergant semina foetus,  
 Haud graue sit uobis si sata uestra metant.  
 Cur non participes? alijs si copia uestri  
 Detur in oppleta fertilitate sumus?  
 Hæc ea nos celebris non duxit ad arma potestas,  
 Omnia sustentat carmina fortis amor.  
 Fortis amor strictum docuit perferre laborem,

Ne ponatur obex, quæ sacra sensa iubent  
 Nota superq; satis res est dum templa coronent,  
 De templis habeat gens operosa cibum  
 Qui tum sacrifici sacris altaribus adstant,  
 Participes fiunt, quæ uigil ara tenet.  
 Aurea sic agedum pacis qui nuncia profert,  
 Integra preconem uiuere iura sinunt.  
 Blandidicus uobis non hæc dictamina scribo,  
 Ut faciles ueniant in mea uota manus  
 Præstat enim morti supponere colla, serenus  
 Quam propriæ laudis demoriatur apex.  
 Si bonus acclamo (non est mihi gloria) uates,  
 Nam super incumbit ductile uatis opus.  
 Væ mihi grande subest, me teter inescat & orcus,  
 Si non uerba dicax prece beata feram.  
 Hæc si fata uolens adnuncio, splendida merces  
 Aut inuitus agam, me leuis ambit honor.  
 Qua mercede fruar si gratis prædico uerbum  
 Fulgidus arescit cum leuitate pudor.  
 Liberat in cunctos quum pars mea clara fuisset,  
 Quo plures traherem sub ditione fui.  
 Iudeus Solymis sum factus ut ipse uocarem,  
 Qui mihi fraterna sunt probitate pares  
 Qui sese dociles rigida sub lege ministros

Præsta-

Præstabant, simili lege minister eram.  
 Sic ego seruilem traxi super omnia cursum,  
 Quò lucrare eos qui sine lege forent.  
 Inualidus fio dotalis ut infima captem,  
 Omnibus omnia sum, crescit amore salus.  
 Hæc euangelicus donat mihi lumina sermo,  
 Illius an sancta sum grauitate comes.  
 Nonne sub illimi stadio quàm plurima currunt  
 Milia sed pretium uir pugil unus habet?  
 Currite sic celeres faciatis in agmina cursum,  
 Ut comprehendatis quæ subit æra labor.  
 Abstinet omnibus his qui poscit agone coronam.  
 Nostra sed æternus perbeat arma pudor.  
 Sic ego discurreo, nec iter uestigia rumpunt,  
 Pugno, nec infelix æra pinso manu.  
 Ergo quid effugis? castigo corpus, ut ipse  
 Non malus efficiar, quum sit in arte bonum.

Capite X. reprobat Apostolus idolis percipitantes, docetq; quomodo utendum sit, quæ idolis immolentur.

**P**Risca quid effingunt chari mysteria cætus?  
 Nunquid sub rutila nube fuere patres?  
 Per mare traductos, sub nube, sub æquore Moses  
 Baptizauit, opus spirituale fuit.

Contrectauerunt eadem libamina cuncti,  
 Omnibus una leues protulit urna cibos.  
 Lymphinomo quicquid simul hic de fonte biberunt.  
 E petra fluxit, rex petra Christus erat.  
 Non omnes tamen hic Christo placuere tonanti,  
 Per deserta truces succubere manus.  
 Contigit opprobrium nostri monumenta pudoris,  
 Ne simus celeres ad mala facta iuri.  
 Haud idolatræ, ueluti quos pagina mordet  
 Gentiles dapibus conuitiasse deos.  
 At neq; scortemur, ne fato demur atroci  
 Sicut inexhausto milia strata grege.  
 Turba nec infrenis patrem tentemus Iesum  
 Dyspadiibus tanquam qui periere mares.  
 Garrula neu linguæ collatrent murmura, ne uos  
 Arceat horrendus concutientis apex  
 Omnia sub grauibus clarent monstrata figuris,  
 Corripiamur ab his, dum mala tempus habet  
 Qui bene stare putat, caueant, uestigia casum,  
 Aut resluant lasi pro grauitate pedes.  
 Haud super humanas crescat tentatio partes,  
 Nam deus indomitum non patietur onus.  
 Coelica prouentus subito dabit aura potentes,  
 Neu labatur inops sub grauitate labor,

O mihi



Omihî prædulces cordis solamen amari.  
 Perdite terrigenas & simulachra deos.  
 Discite solertes animus prudentibus ipsum  
 Quod sciat effari uena diserta sophos.  
 Nõnne calix præsens cui nos benedicimus, exhinc  
 Alma sacrosancti iura cruoris habet?  
 Rarus item panis quem nos tractamus, id ipsum  
 Corpus, & altithronum mittit ad ima ducem?  
 Vnus quod multi sunt panis, corpus & unum  
 Participant una dexteritatis ope.  
 O Israël habes carnalem ad talia sensum?  
 Cor ratione ferox interior uacas?  
 Pinguia qui domibus comedunt holocausta superbis  
 Nõnne sub altaris flamine culmen habent?  
 Ergo quid? an diuum ueteres attollo figuras?  
 Aut aliquid memoro quod nihil esse potest?  
 Impia barbaricæ faciunt libamina gentes  
 Dæmonibus, nec sunt munera grata polo.  
 Nolim uos furum socios, nec habere sodales  
 Dæmonas, infernæ quos tenet ara domus.  
 Belzebuthi, ac Domini calicem quis potat aruspex?  
 Non ea uasa pari conditione bibunt.  
 Si bellatrices dominum reuocemus ad iras,  
 Scilicet hic noster fortior arcus erit?

Omnia nempe licent mihi, se non congrua fiunt,  
 Quod proprium quærat nemo quod alter habet.  
 Commoda si qua refert annona legenda macello,  
 Manducate, grauis uos nihil ira petat,  
 Dextra tonantis habet quos cellus arida fines  
 Cingit, & immensas quas legit orbis opes  
 Si uocet infœlix uos ad sua prandia uerpus,  
 Sumite quas ut habet citrea mensa dapes.  
 At si quis iacet, redolet cibus iste litatum,  
 Quo mala nitentur fercula missa spuas.  
 Si scelus horrescas ab amico scandala torques,  
 Nil blasphemus habes quod leuitate trahas,  
 Manduces, aut uina bibas, fortisq; labores,  
 Omnia sub domini laudibus acta refer.  
 Iudæis chari gentilibus este sodales,  
 Perstat in his tutus prosperitatis apex.  
 Sicut ego multis exquiro quod utile, gratum  
 Profit, & in cunctos rarus ut instet amor.  
 Capite XI. reprobatur Apostolus Co-  
 rinthiorum errores circa celebritatem  
 sacramenti Eucharistiæ, quantum ad ha-  
 bitum & cõuictum, ac deinde prout eu-  
 charistiæ dignitatẽ ac ritũ conuenientẽ.  
**V**T Christum sequimur uestigia nostra tenentes  
 Cernite

Cernite quod terimus religionis iter.  
 Vos sacra laus effert quod in omnia dogmata prompti  
 Atq; quod eloquimur non reprobatis opus.  
 En caput est hominis Christus, mulieris homoq;  
 Hinc caput est Christi qui tenet alta deus,  
 Sive uir exoret, uel dia propheta uatent  
 Erigat excelsum flectat ad ima caput.  
 Fœmina si uates fiat, uel summa peroret,  
 Vertice non tecto scædat iniqua caput.  
 Par est si retogat quam decaluetur honestas,  
 Si non uelaris fœmina, rade comam  
 Non uelare caput uir debet imago tonantem  
 Magna sonat, mulier laus speciosa uiri est.  
 Ex muliere uir est: non uultus illa decoros  
 Vestit ab illustri pars radiosa uiro.  
 Non natura uirum pro coniuge prima creauit:  
 Fitq; maritalem fœmina propter herum.  
 Nobilis hinc mulier cultum uelamen habere  
 Debet, ut angelicus crescat in ora pudor  
 At neq; uir solus, neq; fœmina sola tonantem  
 Respicit, Eua uiro de muliere uir est.  
 Cuncta fiunt deo autore, precaria si sit  
 Fœmina, protectam iacet ad ima caput  
 Vim natura docet, maribus natura comatis

Inuidet his molles non fuit esse comas.  
 Auricolor mulier si fit tibi pexa capilli,  
 Corporis ornatum, uela decoris habes.  
 Si quis habet noxas inter uos dura resoluat.  
 Vincula detractrix non mihi turba placet.  
 Tale quid exhortor? non laudo quod impius auspex  
 Fingit, at extimeo deteriora ruant.  
 Audio fatale; scissuras corda subire,  
 Quod uelut ancipiti causmate schisma reor.  
 Nexas qui tractant impuros esse ministros.  
 Dixerimus, sacra res utq; probetur amor,  
 Insignes faciunt non hæc commercia coenas,  
 Esuriens saturas cernet ut aluus opes.  
 Unde bibant, esum uel pallidus heluo captet,  
 Non habet illustres pars generosa locos?  
 An templum Domini contemnitis? æde fugatis  
 Ordine turbato uultis et esse pares?  
 Carmina de uobis an uultus ut aurea scribam?  
 Laudo, sed id reprobato quod utiatur opus.  
 Hinc doctus fio, successit ab athere numen,  
 Quod sacer accepi, sumite turba sophos.  
 In qua rex mortem gratis tolerabat Iesus  
 Nocte, sub exemplo iura sacrata tulit.  
 Accipiens panem grates persoluit olympo )



Fregit, & hoc uerum rex benedictus ait:  
 Sumite diuinum quæ dant hæc fercula corpus  
 Manducate sacras hæc dat ut esca dapes,  
 Hoc totiens corpus felices ibit in escas  
 Id flamen quotiens commemorabit opus  
 Mox ubi cœnatum calicem porrexit, & infit,  
 Iste calix noua res sanguine sparsa meo.  
 Hunc quoties potum sacro de more bibetis,  
 Tunc nostri memores sei te quod astat opus.  
 Hunc quoties panem sumetis & ista bibetis,  
 Pocula tunc suberunt signa notata crucis.  
 Donec terribiles ueniat rex Christus ad iras,  
 Dicat & horrendus censor ad ima feror.  
 Has uelut indigne qui suaues prenderit escas,  
 Corporis ac Domini sanguinis esto reus.  
 Adprobet an sit homo qui dignus edulia captel,  
 Sumat ut indigne, iudicis arma ferit.  
 Lethifertum calicem bibit, & manducat auernus  
 Quas coquit ardenti sub Phlegetonte dapes.  
 Inter uos multi fragiles, crassoq; pudore  
 Pignoris exortes mortis ad antra ruunt.  
 Quod si tentaret stupidas prudentia mentes,  
 Non uexaret atrox pectora uestra scelus.  
 Dum secat, hicq; rapit flagrans tortura scelestos,

Mitius à Domino flagra tonante furunt.  
 Maluimus hic cædi quàm nos grauis ira feroces  
 Aeternum posthac iusserit ire chaos.  
 Christigenæ fratres has quando uenitis ad aras,  
 Consortes habeant prandia uestra choros.  
 Esuriat si quis, tractim manducet, ut inde  
 Ad graue iudicij non ueniatur onus,  
 Cætera (quum uestras fuero delatus ad urbes)  
 Edicam puro quæ licet ore loqui.

Capite XII. commendat Aposto-  
 lus gratiam Dei, in generali declaran-  
 do conditionem grauiæ gratis datæ, com-  
 parando corpus ecclesiæ ad corpus na-  
 turæ.

**S**citis enim fratres quod spiritus optima sentit  
 Iura, notasq; graues pars leuis intus habet.  
 Dum regeret segnes gentilis inertia sensus,  
 Balbula subduxit post simulachra uices.  
 Cognita res, diuo si quisquam pneumate flamen  
 Eloquitur, Christi non anathema refert  
 Dicere nemo potest Dominus seruator Iesus,  
 Ni, sacrosanctum numen in ore sonet.  
 Gratia multiplices actus distinguit, at idem  
 Spiritus, omni sua pro ratione lepos.

Centuplices uariat Domini famulatio seruos,  
 Vnus item rector conspicit acta Deus.  
 Distinctos & habet uiuax operatio nexus,  
 At Deus omnibus est omnia, & autor habet  
 Vnicuiq; datur prestans quod & utile fiat,  
 Quò sacra diuinum res manifestet opus.  
 Illi blan la uro ridet sapientia, & isti  
 Splendentis sophiæ sermo uenustus inest.  
 Huius clara fides, istius gratia sanos  
 Eleuat istius pars studiosa manet.  
 Nonnullos agitat i una prophetia uates,  
 Hi pariter quod fas quisq; loquatur, habent.  
 Copia facundos interpres gratia linguæ  
 Gloripetas acut laudis ad alta uiros.  
 Suggestit has uires, annunciat unus & idem  
 Spiritus, hæc animis flamma liber agit.  
 Corpore multa licet iungatur membra sub uno,  
 Attamen hæc unum singula corpus habent.  
 Nam uelut ex multis pars confluit una, sub uno,  
 Plurima sunt itidem sic mihi Christus habet.  
 Corpore non uario baptisma recepimus omnes  
 Vnus item uite spiritus una fides.  
 Non est ut uideo res una, sed altera corpus  
 Congeries, totum plurima membra fouant.

Si pes forte loquax manus non sum sum, manus ipse

Dicat, nec uli corpore membra gero,

Hac de re tunc pes non est de corpore membrum ?

Sic oculus non sum peruigil auris ait.

Peruigil auris ait non sum tuus hospes ocellus,

Ergo quid à uolucris corpore trusus agor ?

Si totum fuerint oculorum lumina corpus.

O ubi flacca tuum synciput auris habes ?

Auditus pariter si totum crescat in orbem

Nunquid odoratus sede carebit apex ?

Vnum quodq; graui posuit sub corpore membrum,

Sic compacta suo uult Deus esse loco.

Vnum si fiant hæc forsitan omnia membrum,

Nulla tibi corporeæ machina turris inest.

Multa sub unius compagine membra recusant.

Vnum autem corpus plurima membra ferunt.

An possint oculi manibus iactare proteruis,

Non unquam uestra nos releuamur ope ?

Aut iterum pedibus non obijcit ardua c. rui c,

Non eget in firmo pars generosa pede.

Sed quæ membra minus subdura uel apta uidentur

Consimili faciunt pro grauitate pares.

Sic nullius eget qua re contendat honestas,

Corpus, abundantes temperet ergo manus.



Huic Deus & simplex animæ natura dederunt

Officiosa suis partibus ista forent.

Si qua sibi tollunt hylares ad sydera gestas,

Aut caput ægrotat, cætera membra ferunt.

Corpus enim Christi membrorum iura tenentes

Estis, & has ratio spargit honesta uices.

Sic Deus adflauit sacratio iure prophetas,

Hos dat apostolicis cursibus esse duces,

Sunt euangelici doctores, hos sacra uirtus

Ornat, & insanis præsto medela fauet.

Auxiliatores isti defensa gubernant

Castra, genus, patrias, & idioma sciunt.

Nunquid eos uates, non omnes esse prophetas

Dicimus? illustres num sonat aura uiros?

Vos meliora sequi moneo, dum labilis ætas

Vos fugit, excellens cartha ministrat opus.

Cap. XIII. cōmendat Apostolus charitatis excellentiã, utilitatē, & stabilitatem.

**S**i linguis hominum loquar, aut mihi Gabriel usquam

Adsit, ut æs resono, si pius absit amor,

Quod si præclarus mysteria cuncta prophetes

Sciuerō, nil prodest si charis una uacet.

Pauperibus nil larga mei dat copia census,

Ardeat & corpus, dum bonus absit amor.

Aemula non urit charis, at nihil audet iniquum,  
 Nec mouet infestos ambitiosa pedes.  
 Haud ea quæ sua sunt disquirit, acerba nec instat,  
 Quin graue mordaci deprimit ore malum.  
 Impia non gaudet si fastus cernat iniquos,  
 Congaudet uero, cuncta rependit amor.  
 Omnia credit amans, syncerus & omnia sperat?  
 Sustinet, inflicto uulnus ab hoste capit.  
 Excidit at nunquam charis almat notatur in æuum,  
 Cœlestiq; thronus sub bonitate manet.  
 Siue prophetales cessabunt ordinem uersus.  
 Siue loqui sacrum lingua deserta sophos.  
 Noscimus ex una reliqua sub parte prophetant,  
 Pars quibus ingenue mentis imago subest.  
 Mox ubi perfectum quod imagine uidimus ipsa  
 Venerit euictum corruet id quod obest.  
 Non res grandiloquas sapui, dum paruulus essem,  
 Paruula confiteor (quæq; loquebar) erant.  
 Vir quoq; dum grandes surrexit adultus in annos,  
 Paruula despexit uir grauis acta loqui.  
 Nunc res fulgenti speculamur imagine notas,  
 Tunc facie ad faciem luminis ardor erit.  
 Nunc ego (ceu uidi) rem iudico parte sub illa  
 Tunc autem noscam quicquid imago tulit.

Cœlica dona fides, charis, & spes, hæc tria constant

Maiores at est horum religionem charis.

Capite XIII. eminentiam ostendit prophetiam super donum linguarum, & quod sit utroque dono utendum.

**S**ectari iubeo charitem, grauis unde peroptet  
Mens sincera loqui spirituale sophos.

Qui resonante tuba fuerit sacra uerba loquutus

Non humana subit, sed cita ore Deum.

Audit enim nemo loquitur mysteria sanctum

Pneum. i. sacer uates instruit arte uiros.

Qui tantum lingua fatiur sibi proficit, & qui

Vaticinatur, opus religionis habet

Scilicet in Domini templum uocat ille magistros

Qui sunt unanimi dexteritate pares.

Vos ego linguaces nolim uos esse prophetas

Opto uenustatis plus sacer anti: honor.

Grandior est animi uirtus, Cenodoxia linguas

Ventilat, interpres ni fluat ore sonus

Ad uos si ueniam, quid uobis prodero, uates

Ni sacer in sophia, uel pr. bitate loquar?

Persona confusos spirant psalteria uersus

Turgida distinctum ni sonat aura melos.

Barbitos incertas uel si tuba cornea uoces

Intonet, horrendus non it ad arma furor.  
 Sic ago pro linguis, manifestus ad omnia sermo  
 Ni uolet, emissos non legit aura sales.  
 Multa per ingentem currunt idiomata mundum  
 Linguarumq; modi sunt sine uoce nihil  
 Pondera si uocis non nouere, uerba loquenti  
 Barbarus efficiar, nec mihi notus erit.  
 Si uos spirituum, qui flagrans numen habetis  
 Per uos sanctificans quærite conſ. e. opus.  
 Dulcia cui uolucris donantur munera linguæ,  
 Oret ut interpres uerba notata sciat.  
 Si mea lingua Deum lepidio sermone coronet,  
 Spiritus arcano corde precetur idem.  
 Tunc mihi frugifera constabunt pignora uocis,  
 Exhinc uocales mens dabit alta modos.  
 Si sacer in sano sedeas, benedixeris & tu  
 Ignare plebi, quod dabit orbis amen?  
 Cur canis immensas ( qui condidit omnia ) grates,  
 Quum propria non fit sorte modestus homo?  
 Sic ego condignas charites absoluo tonanti,  
 Quod uestre gentis consona uerba loquar.  
 Malo mei referat uis sensus grammata quinq;  
 Quam mea declamet milia lingua decem.  
 Sensibus este graues, tepido sed crimine, parui,



Respuat id sensus, quod caro scæda legit.  
 Non prorsus linguæ populo sunt signa fideli,  
 Fatales animos causa fidelis habet.  
 At si conueniant omnes, linguasq; loquantur,  
 Si malus introëat, fertur inesse malum.  
 Clara prophetales habeant si pectora sensus,  
 Vincitur ignorans, pellitur umbra fide.  
 Percipit occultos sapiens prudentia cultus,  
 In faciemq; cadens numen adorat honor.  
 Cernimus ô fratres, totus iam nunciat orbis  
 Vnigenam Christum uestra per ora coli.  
 Lucida quum steriles facitis commertia fructus,  
 Cuiuscunq; grauis psalmus in ore tonat.  
 Est aliquis doctor, scælix morumq; magister.  
 Huic arcana potens inferit arma Deus.  
 Illi donatur præstans facundia linguæ  
 Hic sacer interpres quod capit ore sonat.  
 Quando quis eloquitur, comitem uocat ille secundum  
 Multis auditor tertius esse studet.  
 Hic ubi non fuerint interpretis aurea linguæ  
 Munera, uox cesset dicta pusilla loqui.  
 Vatibus hic mos est, duo, si tres fata loquantur  
 Cætera tunc taceat turba, notetq; sophos.  
 Quod si res potior, uel sanctum pncuma sedenti

Obuia sit, taceat cui prior aura fuit.  
 Singula uis animos ualet exagitare prophetas  
 Vt cunctis proffit gentibus alma fides.  
 Pneuma prophetarum cunctis ut credo prophetis  
 Subditur, & uates ad sua sensa rapit.  
 Nonne sacrosanctæ fulgens probitatis imago,  
 Num Deus athereæ stigmata pacis habet?  
 In fanis mulier taceat, quæ subdita debet  
 Esse, uetant sexum iura suprema loqui.  
 Discere si cupiat posita feritate, maritum  
 Quando domi fuerit (si uelit illa) roget.  
 Turpis obest error si declamatio sexum  
 Innaturalem per sacra templa notet,  
 Omnipotens uestra processit origine uerbum?  
 Atria uel solis contulit alta Deus?  
 Vestrum si quis habet commenta prophetica, doctus  
 Percipiat sensu quæ sacra uerba loquor.  
 Fallitur ignorans, dat & ignorantia casum,  
 Decipit incautos asspis hiulca pedes.  
 Veridicos proceres optetis habere prophetas  
 Prodat & omnifluum lingua diserta sophos.  
 Eximios fructus fulgens dispenset honestas  
 Illustrem faciant candida gesta modum.  
 Capite xv. tractat Apostolus de gra-  
 tia

tia resurrectionis præmittendo cōmen-  
dationem euangelicæ doctrinæ.

**D**ogma tonante loquar quod rex mihi donat le-  
sus.

In quo statis, opus cœlica dextra regit.

Imprimis quod ago docuit mea pectora numen

A me quod sapitis, pneumate dante scio.

Pro culpis hominum diuina potentia robur

Flexit, & in mortem pars generosa ruit.

Mortua sub forti iacuerunt fata sepulchro,

Nox uocat interno membra sepulta die.

Visa Dei facies Petrum radiosa leuauit,

Claruit undeno lux speciosa gregi.

Plusquàm quingentos lustrauit imagine fratres

Morte iacent aliqui, pars aliquanta manet.

Hac Iacobe doces, hoc sciuit Apostolus omnis,

Tunc uidere suum lumina clara ducem.

Visus abortiuo mihi rex, postremus & illum

Indignus colui, sum quoq; gente minor.

Nunquid ego uates olim, sanctosq; prophetas,

Christicolas toruus nonne sequebar eques?

Gratia nempe mihi donauit honesta quod hic sum

Non strauit uacuan gratia plena domum.

Plus his anteferor, plus omnibus ipse laborem

Insumpsit

Insumpsi, nec ego, gratia magna potest.  
 Sive ego, sive illi donarint dogmata uobis,  
 E nostro præstans creuit amore fides.  
 Si surrexit homo funebri corpore Christus,  
 Plaudite ( quæso ) uiri, uita secunda subest.  
 Pseudotubæ taceant, quæ fata perennia credunt,  
 Qui uitæ humanæ fila secunda negant.  
 Si fatalis abest rediuiua citatio uita,  
 Vana resurgentis signa fuere Deo  
 Quod si uitales, rursus non prenderit auras  
 Christus, inane fides prædicat alma sophos  
 Fallunt & falsos produnt dictamina testes,  
 Dura resurgentes si neget aura uiros.  
 Nam si non redeat uitales Christus ad orbis,  
 Vana fides instat, uos habet error iners.  
 Ergo qui placidum Domino captare soporem,  
 Sub chaos antiquum disperiere patres.  
 Si tantum Christo sperantes uiuimus isthic  
 Tristior est omni nostra sub orbe salus.  
 Nunc autem Christus surrexit morte subacta,  
 Primitias uitæ dux generosus habet  
 Illa per humanos fati quæ uenerat artus  
 Sors, per idem corpus uita necessis erat.  
 Res in Adam ueluti successerat horrida, Christo  
 Principe



Principe mortalis uiuificatur humus.  
 Sic res quæq; suo statuatur in ordine Christus  
 Primitias, Christus stemma decoris habet.  
 Hunc qui sunt Christi clarissima membra sequuntur  
 Christigenæ sacrum queis decus artis inest.  
 Deniq; finis erit, dabit & post secula regnum  
 Aeterno uictis hostibus ille patri.  
 Huic regnare datum, quo rex sibi magnus atroces  
 Sub pedibus teneat, dissipet atq; choros.  
 Corruet infelix ceu præda nouissima crimen  
 Omnia sub pedibus mors inimica tenet,  
 Omnia (præter eum qui subdidit omnia fato)  
 Infortunatæ sunt data iura neci.  
 Subdita quum fuerint iam cuncta elementi tonanti:  
 Filius est patri subditus, huicq; subest.  
 Christigenæ faciunt quid pura lauacra salutis,  
 Si non subiiciat uita secunda necem?  
 Ad quid coelipotens Christus baptisma probauit?  
 Dic quare uaga mens ista pericla times?  
 Quotidie morior, me doxa Corinthia fratres  
 Raucinat, à Christo rege paratur amor.  
 Si cum bestiolis Ephesi, manus ista periculum  
 Inuasit, quid ego si necis arma furunt?  
 Manducemus item cras quæ erent tartara manes,

Hicq; bibamus, erit cras leuis umbra nihil.  
 Vincier his quæso uerbis nolite procaces  
 Corrumunt equidem pectora culta modi.  
 Sic uigilate uiri, ne uos peccata sepultos  
 Obtebrent, sanctus crescat in ora pudor.  
 Proh scelus ignorant aliqui quod maximus autor  
 Tempora composito numine cuncta regit.  
 Hæc reuerenter habens uobis sacra dicta propheto  
 Rebus ut in cunctis numen inesse sciam.  
 Dicit adhæc aliquis, quamam ratione sepultis  
 Exurgunt, quali flamine et ossa legent?  
 O labor insipiens, qui mandat semina terræ  
 Non segetis fructum ni moriatur habet  
 Sic quod uenturum præpingui semen in agro  
 Inseritur, culto forma decore uacat,  
 Dat Deus: huic corpus sicut uult, corpus & illi,  
 Effigies proprium scripta uenustat opus.  
 Non eadem est cunctis facies, humana ferinam  
 Segregat, hæc uolucres, piscibus illa placet.  
 Corpora sunt coelis, terras & imago figurat,  
 Hic lunæ radius, sol iubar albus habet.  
 Altera uis stellas, species, & imago uenustat,  
 Omnium at ardentis non agit uua comas.  
 Sic sic mortales reuocabit multa sepultos

Gloria

Gloria, splendentem figet in astra thronum.  
 Abdita fatali consurgent ossa sepulchro,  
 Humanos cineres dimitra soluet humus.  
 Quæ sine laude caro iacuit demortua, surget,  
 Illustri tanquam pars generosa uice.  
 Pars infirma graui surget uirtute, quod usquam  
 Membrum animale fuit spiritus acer erit.  
 Primus Adam tenuit carnalis robor a uitæ,  
 Alter item partes uiuificantis habet.  
 Primus homo fragilem gessit terrestris amictum  
 Alter ab illustri sydere nomen habet.  
 Quales terrenas, tales sibi terrea formas,  
 Qualis cœlestis talia signa refert.  
 Ut terrestris Adæ quondam portauimus umbras;  
 Sic modo cœlestis monstret imago diem.  
 Hæc ego describo, quia sanguis, olensq; uoluptas  
 Scandere non Christi castra beata queunt.  
 Vultis & arcane tangam mysteria uocis?  
 Exurgent omnes qui periere uiri.  
 Immutabuntur non omnes, gratia Christi  
 Quos amat illustres in sua regna uocat.  
 Omnia momento fient, ceu lumen ictu  
 Ceu postrema leues dant sua signa tubæ  
 Sic tuba præstantes reuocabit adunca sepultos.

AD CORINTHIOS.

353

Immutata rudis corpora soluet humus.  
 Incorruptibiles placet hoc uestire coronas  
 Corpus, ad æternas ut uolet inde domos.  
 Membra leues quando capient cœlestia formas,  
 Rumpentur diræ ferrea uincla necis  
 Tunc fera pallentes plorabunt fata triumphos.  
 O ubi mors stimulus? gloria strata iacet.  
 Funeris est stimulus peccatum criminis autem  
 Aspera lex uirtus pondera legis habet.  
 Gratia, laus supero referatur honora tonanti,  
 Dum nigra sub Christo principe signa iacent.  
 Este uiri fortes, immobilis aurea sensus  
 Atria, stelliferas cerne uirago domos.  
 O mibi candidulos inter pars inçlyta fratres,  
 Qui domino seruit, non famuletur amor.  
 Capite xvi. docet Apostolus quomodo  
 modo cum extraneis & uicinis sit con-  
 uersandum, ac in fine epistolæ salutatio-  
 nem annexit.

**V**T stipem Galathæ donare clientibus almis,  
 Largi fluas itidem uos dare quæso manus.  
 Vnusquisq; suo quod per placet ære reponat,  
 Ne quando ueniam res uacet ulla domi,  
 Quum fuero præsens quos litera diua probârît,

z

Ad



Ad Solymas dicam munera ferte domos,  
 Has ego (si dignum fuerit) demittar ad urbes.  
 Ut mecum ueniant protinus ipse uolo.  
 Ad uos peruenient, Ephesi quum uisero fines,  
 Si patrie charites nos hyemare sinant,  
 Non tantum gradiens illuc: uos spero uidere,  
 Ast ibi per longos glisco manere dies.  
 Donec solennes peragat Cenophegia cultus,  
 Arx Ephesi nostris classibus hospes erit.  
 Res mihi lata nimis, panduntur & ostia mortis,  
 Qui necet in fontem turbidus hostis inest.  
 Si mihi prædulcis Timotheus uenerit ad uos  
 Non hunc sollicitet tractus in ora timor.  
 Ille opus excellens (ut ego) meditatur, amate  
 Quem Deus instruxit nosse suprema uirum.  
 Ne quis eum spernat, uos per sacra uota requiro  
 Ad me succedat iura benigna sinant.  
 Præstolor spectant de fratre suauia fratres  
 Oscula, complexus tendat & ille meos.  
 Oraui fratres, scheda multa rogauit Apollo,  
 In uestras (sed obest causa) uenire domos  
 Copia dum fuerit, uestras succedet ad urbes,  
 Interea portet uis animosa fidem.  
 Este uiri fortes, mœstis solatia rebus

Supponant, charites pars generosa uocet  
 Obsecro num fratres, Stephanam, sociosq; notastis;

Primitias sacræ religionis habent.

His probitatis opus donauit gratia, cœlum

Compluit, hos celebrat Græcia uestra patres.

Fœderibus sacris ut se tribuere ministros,

Sic rubra sollerti subdite colla iugo.

Gaudeo mi Stephanæ tibi grator Achaicæ multum

Fortunate places, quod mea sensa probas.

Suppleuere manus, quæ nos fecisse licebat,

Tanta Corinthiaci cernite facta duces.

Vos Asiae proceres, Aquila & Priscilla salutant,

Vos cuncti fratres pacis ad ora uocant.

Mutua synceros dent uobis oscula nexus,

Quos ego dem plausus, litera missa docet.

Si quis enim Christo non sumpserit arma tonante,

Ille anathema ferox sit, maranatha Deus.

Vobiscum Dominus, uobiscum gratia Christi,

Et mea cum uobis uita perennis. Amen.

ARGUMENTVM EPISTOLAE SE-  
 cundæ ad Corinthios.

Postactam à Corinthijs pœnitentiam consolatoriam  
 scribit eis epistolam Apostolus à Troade per Titum, &  
 collaudans eos, hortatur ad meliora contristatos quidem  
 eos, sed emendatos ostendens.

Capite I. captat à Corinthijs beneuolentiam per suas tribulationes ad excusandum attentionem, & excusat se de promissione eis facta.



Aulus athleta Dei sacer, & Timotheus alumnos  
Christigenas uisunt, Troade  
charta uenit  
Omnibus ecclesijs quas sustinet  
alta Corinthus

Paulus ego sacras mitto salutis opes.  
Gaudia quæ promo, pax comit, adornat Iesus,  
Aeternus genitor, pneumaq; scriptor inest.  
Rex benedictus item Domini pater, aura tonantis,  
Solamen miseris dux pietatis habet.  
Nos ita rex animat, casus portemus amaros,  
Demus & adfluctis dum tonat ira manum.  
Ac uelut in nobis Christi pressura redundat,  
Sic graue per Christum pectus inurit amor.  
Siue uir exhorter, feriat turbatio mentem,  
Pro uobisq; grauer spes mihi tuta subest.  
Pœnarum socios quia uos habuisse putauī,  
Lætitiæ comites hac mihi parte uolo.

Sciistis fratres quis nos uexauerit angor  
 Dum nos taderet uiuere, pœna fuit.  
 Intulit alta sacer tamen hæc oracula nobis  
 Ne fidamus ait qui Deus alta potest.  
 Qui iubet exanguis uitalia fata per artus  
 Currere, cui fidant pectora solus habet.  
 Magna quidem fecit, maiora putamus, & ipsum  
 Ferre, manus uestre si mea uota iuuent,  
 Auxiliatores si quando fuistis amici,  
 Creuerunt charites, pignora debet amor.  
 Gloria quippe mea est præclara modestia uite  
 Et mea syncerum gaudia pectus habet.  
 Intima carnalis non corda sophistica terror,  
 Aurea formosum gratia monstrat opus.  
 Non id habet mundus (sunt cœlica munera) robur,  
 Quod mihi suprema dextera sorte tulit.  
 Pondera sunt uobis, aliud non scribere conor,  
 Quàm quod legistis post mea uerba sophos.  
 Spes proba respondet, dictauit epistola signum,  
 Quod pars illustris gloria uestra sumus:  
 Gloria uestra sumus, ueluti uos nostra, tonantis  
 Vsq; dies Domini clauserit orbe polum.  
 Hac ego confisus pietate Corinthia ueni  
 Ostia, quo sanctus congeminetur amor.



Ad uos sic gradiens Macedonica rura subibo,  
 Hinc ad uos rediens Helia castra pectam.  
 Grandia dum meditor leuitatis imagine raptus  
 Sum, uel si fallam dicite corda rogo.  
 Non ego carnalis loquor isthæc, nunquid apud me  
 Est & Non? ble sus non mihi sermo placet.  
 Viuus enim sermo semper mihi constat in illo est  
 Non aliud resonat lingua tenella sophos.  
 Illa Dei soboles quem nos clamamus Iesum  
 Non sonat Est & Non, Est tamen illud habet  
 Quotquot enim supero ueniunt promissa tonante,  
 Consistunt in eo, pondus & istud amant  
 Hinc per eum nostræ tolluntur ad æthera uoces,  
 In decus hoc nostrum lingua profatur Amen.  
 Qui nos in Christo uobiscum firmat & ungit,  
 Est Deus, intulit hoc pignus amantis apex.  
 Si qua mouet nostros diuina prophetia sensus  
 Illa refulgenti defluit aura polo.  
 Inuoco mi testem Dominum quod clara Corinthi  
 Non parcens uolui castra subire domus.  
 At uestre fidei dominans non transferor illuc,  
 Sed uenit adiutrix fœdere iuncta manus.  
 Mutua sunt nobis felices gaudia cursus,  
 Vos habet heroas religioſa fides

Capite II. ponitur duplex causa quare Apostolus non uenerit Corinthum: scilicet ne contristaretur, & alibi maiorem fructum faceret, quem fructum deinde ostendit, à quo falsos prophetas excludit.

**H**oc ipsum meditans statui, ne flebilis ad uos  
Congrederer mœstis ne sacer obset amor.

Sic uos contristo, quis mœsto gaudia cordi  
Excitet? impulsus non leuat extra dolor.

Id uobis scripsi, ne quando uenero tri sis  
Stillantes lachrymas ora rependa bibant.

De quibus ante mihi licuit gaudere sinistrum  
Quum Deus imploro, gaudia nostra uacant.

Scripsit amara rudes planctus angustia cordis.  
En charis agnoscit quantus amore feror.

Si quis me lacero tristauit agone pusillum,  
Prætulit ancipiti scandala sorte labor.

Obiurgamentis qui gesta pudenda coëgit  
Sit satis in multas dorsa tulisse manus.

Quo magis huic donent, magis & solentur egenum,  
Diruta ne crudus sorbeat ossa dolor,

Obsecro iam fratres charos ostendere uultus,  
Inceptum posthac ne laceretur opus.

Experiar certe si uos communis ad omnes

Vt modo fauistis gratias blanda ferat.

Cui donastis, ego Christi sub nomine tantum

Donauit, Satanus ne malus antra uoret.

Nouimus umbrosas syrposi demonis artes,

Quodue subhorrifico pensitet ore malum.

Dum propter Christi partes Troiana uenirem

Pergama, spiritui non erat una quies.

Aequa fuit ratio, Titus hinc mihi coeperat absens

Esse, uale dices Thracia ad arua feror,

Laudetur Dominus, Christo mihi rege triumpho.

Gentibus in multis candida fama subest.

Fragrat odos fame, mea nominis ardet imago

Queis proba uita bonos, pellit ad ima truces

Hijis uitae funes, alijs spiramus agonem

Mortis, ad haec non me promptior alter erit.

Non sumus ut quida (loquimur sacra) pseudopropheta

Personat aethereum nostra canoena sophos.

Has coram Domino uoces meditamus iesu,

Has Deus, has Christi gratia pensat opes.

Capite III. ostendit Apostolus se commendatione hominum non indigere, nec eam quaerere, Atque commendat ministros Ecclesiae Christi quantum ad

offi.

officij dignitatem, & quantum ad cognitionis excellentiam.

**I**ncipimus rursus nos commendare? putatis  
Commendatius me ferat usq; liber?

Pectoribus uestris feritur quid epistola mandat,

Scitur, & in cunctos fit manifesta fides.

Estis enim sollers (sacra testor) epistola Christi

Illam fuit Pauli charta notata manu.

Non atramento non celtice carmina uiuo,

Illam sed in cordis marmore scripta manent.

Viuis enim sermo descendit ab aethere, tantum

Spes mihi sub Christo principe firma subest

Non quod de nobis aliquid possimus, ut id nos,

Scilicet ex nobis perficiatur opus.

Quod potis est animus sufferre, potentia coeli

Intulit, has vires misit ad ima Deus.

Principis altithroni comites sumus, unde ministros

Rex habet, alma nouus compluit ora lepos.

Spiritus ad superos, ad olympica regna leuatur,

Ceu uetus adstripet as litera mactat oues

Quod si tam grauibus nescis arma fuere Litoris,

Viuis spiritui gratia maior inest.

Monstrauit Moses uultus ad iura saeueros,

Horruit Israel tale uidere iubar.



Si fallax Babylon, dederitq; proteruia laudem,

Maius iusticiæ gloria pondus habet.

Ad neq; glorificum peruenit imago tribunal,

Excellens propter quod superesset opus.

Si quid honorificum, tenues id cedat in auræ,

Quæ manet hinc multo res mage laudis habet

Firmatos hac spe fiducia multa ministros

Armat, & æthereos scribit in astra duces.

Nam uelut ille sui Moses qui tempora uultus

Velabat, nostrum sic tegit umbra diem

Tempus ad hoc uerpis mansit uelamen id ipsam

Occultum patribus res quoq; clausa fuit

Pectora uelamen cæcorum fuscant, Iesu

At duce sub Christo pars uacuatur iners.

Quum Solymi reges scierint edicta tonantis,

Luminibus cæcis (nec mora) splendor erit.

Spiritus arx Domini est, ubi spiritus instat amoris

Dos ibi, libertas, imperiumq; subest,

At uerò euenti speculamur clara tonantis

Facta, Dei rutila fronte uidemus opes.

Capite IIII. commendat Apostolus  
nouum Testamenti mysterium, & quantum  
ad operationem boni, & quantum ad  
operantiam mali.

**V**nde triumphales hac nos in parte ministros  
 lus habet, hacq; graues dat pietate frui.  
 Non uagus errat amor, nec agit uersutia gressum,  
 Sed nec adulterio casta loquela perit.  
 Me ueri commendat honor, me iungit oblympto  
 Integritas animæ, testis ad ista Deus.  
 Quod si dogma latet, pereuntes fuscant ocellos,  
 Roboribus magnis extulit arma tonans.  
 Sic Euangelij latuit sacra gloria cæcos,  
 Illa est unigenæ dulcis imago Dei.  
 Non leuibus uentis attollit amica loquentem  
 Lingua uirum, laudum cantica Christus habet.  
 Efficimur uestri Christo dictante sodales,  
 Ut nocturna rubens proferat umbra iubar.  
 Cordibus in nostris sol clarus imagine fulsit,  
 Vnde subit lepidum uiua lucerna sophos,  
 Thesaurum stabilem uas fictile seruat, olympi  
 Quò pateat uirtus imperiosus apex.  
 Sollicitudo grauis nos angit, a porria mordet,  
 Attamen ex humili non fluit ore fides.  
 Tortores patimur, nec uincunt fila tyranni,  
 Flectimur, inconstans nec premit ora rubor.  
 Ad mala dei ieiunimur, sed non fatale periculum,  
 Nec ruit in laceros uis animosa canes.

En circum

En circumferimus sub nostro mortis agonem  
 Corpore, quem uicto Christus ab hoste tulit.  
 In mortem trahimur, patimur fera propter Iesum  
 Ut Deus in nobis rex manifestus agat.  
 Ergo subest nobis necis aridus horror, & in uos,  
 Vita sonat quid habet flamen & alma fides.  
 Credita colloquimur, num qui reuocauit Iesum  
 Et nos cum Christo uiuificauit apex?  
 Omnia propter uos nostri pro parte geruntur,  
 Gratia quod multis: crescat honoris opus.  
 Magna per humanas insurgit gloria grates.  
 Dum tonat horrida uis, tunc mihi pectus inest  
 Iam licet is pereat, qui rem foris urget olympum.  
 Attamen interius qui renouatur habet.  
 Hic quod enim fluidum nos angit, in orbe futuro  
 Aeternæ fabricat dexteritatis opus.  
 Momentaneo sunt quæ rara sub orbe uidentur.  
 Sed quæ luminibus perditæ, semper erunt.  
 Capite v. agit Apostolus de premio iu-  
 storum, ac eius desiderio, atq; debita ad  
 ipsum præparatione ac causa utriusq;  
**S** Scimus enim fragilis quàm fluxa domuncula uita  
 Huius inest, aliam causa perennis habet.  
 FLEMUS eam tolli domibus quæ conditur altis,

Mollibus optantes corpora nuda tegi.  
 Ingemimus tristes hoc corporis asse grauari  
 Ne quod mortale est uindictet hospes humus.  
 A quo spiritus est qui nobis pignora uitæ  
 Suggestit hoc ipsum dat Deus omen agi.  
 Audentes loquimur, quoties in corpore statur,  
 Cœlesti à patria mens uelut exul abest  
 Non rerum species oculata mente uidemus,  
 Tranite quo gradimur monstrat alumna fides.  
 Corpora mauult frustrari parte, Deoq;  
 Iungi, mens stupidos quam tolerare metus,  
 Ante sacrum Christi nos constat adesse tribunal,  
 Corpore digestas cui referamus opes.  
 Quod tersum sapimus paradigma notamus ad unguem  
 Mortales cunctos sic Deus autor habet.  
 Spero quidem nec uanus agit, cauda pectora sanguis  
 De nostro stabilis pneumate fulget amor,  
 Non uestras iterum petimus consciscere laudes,  
 Pectora subblandus non sacra nutrit honor  
 Gloripetas ex his poterit cognoscere uultus  
 Vis sapiens, falsum quod stet in ore sophos.  
 Extasis arripiat, seu mens mihi sobria subsit,  
 Semper idem flamen cœlicus ardor habet.  
 Nos Christi præstringit amor, si funus & insit,



Pars eadem nostras usq; moratur opes.  
 Mortuus est Christus, qui uiuunt nil sibi fato  
 Adscribant, sed ei qui dominatur apex.  
 Mortuus humana sic rex pro carne reuixit,  
 Viuere sub Christo firma columna potest.  
 Ex hoc nulla caro maturum uestit honorem,  
 Nota nec appendet sub grauitate salus.  
 Quod si nouerimus Christum sub carne tonantem,  
 Ante graues oculos nunc quoq; nullus inest.  
 Si noua uerbigenæ fuerint opsonia Christo,  
 Iura renascuntur legibus aucta nouis  
 Conciliatur amor Christo sub principe tantus,  
 Quanta, sub exorto luxerit orbe fides.  
 Et Deus in Christo cupiens componere mundum,  
 Gentibus adfluctis præsto medela fuit.  
 In cælos igitur nostra est legatio Christus,  
 Hoc duce uerbi potens conciliatur honor.  
 Qui scelus horruerat, peccatum fecit, ut ipso  
 Arderetq; noua dexteritate salus.

Capite VI. hortatur ad bonum Cor  
 rinthios in futurum agendum, quantum  
 ad exteriorem conuersationem, interio  
 rem deuotionem ac infidelium uita  
 tionem.

**H**ortamur ne uana fides aut subdolos error  
 Vos agat, ut sanctum perficiatis opus.

Rex agit, audiui querulas hoc tempore uoces,  
 Adiutorq; fui dum foret æqua salus.

Ecce sub auricoma fulgescit lampade cœlum,  
 Clara sacrosanctæ stella salutis inest

Quò grauis in rebus tandem laudetur honestas  
 Nullus in offensam pes statuatur humum.

Candida felices ostentent gesta ministros,  
 In multis patiens non tribuletur amor.

Non uos seuus agon, carcer, duriq; labores,  
 Impia seditio, terreat ægra fames.

Longanimes, castos præclara scientia monstret,  
 Extendatq; sacros pars generosa sinus.

Dextera iusticiæ pariterq; sinistra seuerum  
 Hostica prudenter robur in arma ferat

Nobilitas uitæ, sic uos bona fama coronet,  
 Vestraq; uirgineus curret in ora rubor.

Vt seductores ueri seruate pudorem,  
 Noscitur ignotus, fit mera uita mori.

Vt castigati non mortis habetis agones,  
 Tristia (sintq; licet gaudia) corda bibunt.

Sicut egestosi prædes numeratis aceruos,  
 Ceu nihil & totam possideatis humum.

Nostra Corinthiaci uos tangunt oscula fratres,  
 Intima fraternus pectora pulsat amor.  
 Si uos damna premunt, id non ego, pseudo magistri  
 Ardentes lachrymas uiscera uestra bibant.  
 Nos pars æqua manet, natis loquor, ardua fortes  
 Gesta ferant animi, par sit in arte labor.  
 Aurea difformes uitiant commertia cœtus,  
 Fœdis fragos nusquam forma fidelis amat.  
 Fulgida lux tenebris, nec ius æquatur iniquo,  
 Ad Belial Christus fœdera nullus habet.  
 Non cultura ferax idolis seruit, ad ædes  
 Diuinæ sero mens peregrina uenit.  
 Vos plebs, uos templum, uos uiui mensa tonantis,  
 Omnipotens largo uester in orbe Deus.  
 Hinc uos immundum gentis nolite lacunar  
 Tangere uipereos nec penetrare sinus,  
 Si uos pro natis habeam, Deus inquit, olympum  
 Vendico, sydereas sumq; daturus opes.  
 Capite VII. utilis Apostoli monitio  
 præmittitur, atq; Corinthij de præteritis  
 bonis commendantur.  
**C**Edat in exemplum nostri proba causa laboris  
 Nemo mea læsus religione iacet.  
 Doctrinis uarijs nullus corroditur index,

Sed nihil à uobis torquet auara manus.  
 Hæc ego ut ædificent uerborum semina sparsi;  
 Quo neq; sanguineus currat in ora rubor.  
 Visceribus scriptos prædiximus esse sodales,  
 Vnus amor fratres uiuere datq; mori.  
 De uobis multum mihi dat fiducia, surgit  
 Gloria, cælesti pendet ab orbe sophos.  
 Festiuo plenus solamine gaudia capto,  
 Pectora non rabidus sorbet amara dolor.  
 Quando peregrinus Macedo tua rura subiui,  
 Nulla sub obtusa dormit aure quies.  
 Bella foris, pugnae intus, ad æthera duxit ocellò  
 Pars humilis, lachrymas uexit in astra Deus:  
 Nos Titus accedens hilaro succensit amore,  
 Ille quidem uestro lætus honore fuit.  
 Retulit hæc nobis, ea sunt compendia, morum  
 Quos habet inuenta dexteritate salus.  
 At mea si quondam uos fecit epistola tristes,  
 Gaudeo, nec facti pœnitet, usq; iuuat.  
 Lator quod mea res uos contristauit ad horam  
 Et uos pœnituit turpe patrasse malum.  
 Vos ira diuinus subtristes pungit amaros,  
 Non iactura mea est sorte pericla pati.  
 Præcipiente Deo qui pœnitet, ille salutem



Adsequitur, mortis commoda mundus habet  
 Tristis amor curas extorquet, mollit atroces  
 Inuidiæ stimulos, sollicitatq; metus.  
 Hinc desyderis foelicibus intima complet,  
 Tendit & ultrices ad malefacta manus.  
 Exhibuistis opus quod celsa negotia tractant,  
 Gestat & integrum uita serena caput,  
 Quod tulerim uobis memoris compendia chartæ  
 O chari Deus est testis, & æquus amor.  
 Propter eum qui struxit opus, uel passus ineptum.  
 Hæc ego non scribo, me citat æquus amor.  
 Sollicitudo frequens animos solatur inertes,  
 Dum mens fessa nimis quod super optat, habet.  
 Gratulor incenso Tite gratulor hospes amanti,  
 Quod tuus è uoto præpete creuit honor.  
 Si quid apud lepidum mea fecit epistola uatem,  
 Gaudeo, non turbat pectora sana rubor.  
 Sicut apud uestras aures sum uera loquutus:  
 Tum uerax ita sunt quæ Titus ore tulit.  
 Ille mihi charum de uobis pandit amorem,  
 Quem timor excedit, credidit æqua fides  
 Vsq; adeo magis atq; magis gaudere licebit,  
 Omnibus in uobis crescit uterq; labor.  
 Capite VIII. ad eleemosynam in Hieru  
 salem

falem mittendam Corinthios adhortatur Apostolus, & agit de collectoribus huius eleemosynæ.

**Q**uid Macedo, populus, quod gēs humana decoris  
 Intulerit, charites pandit apertus amor.  
 Res comperta super, tribulatio, gaudia, gazas  
 Pauperies, humilem contulit ara chorum.  
 Comprobo uirtutes, illorum facta repenso,  
 Pergratas teneo sub ratione uices.  
 Non fuerat nobis illa de plebe uoluntas,  
 Saueat in æthereos ponit amica sinus.  
 Ecce Tito supplex hortante popellus ad usum  
 Si properet fidei, tale probetis opus,  
 Dulciter oro uirum similes uos ducat in actus  
 Cordibus hæc insit gratia summa precor.  
 Sicut apex fidei uos sermo, scientia grandes  
 Reddit, habet charites, nec fit adulter amor,  
 Hæc me sollicitat cœlestis cura profari,  
 Compar & ingenium probitate.  
 Est hæc larga Dei bonitas, quid diues, egenus  
 Factus, ut hoc locuples principe terra foret.  
 Vitale consilium super his faustissimus addam,  
 Quod me uelle sacrum perficiatis opus.  
 Promptior est animus quam flagret pronò uoluntas

Ex illo quod habet uim ferat atq; manus.  
 Non ut inest alijs uitiosa remissio, non uos  
 Lædat in obliquum spina rotunda pedem.  
 Tendit ad æquales humana modestia cursus,  
 Rumpit inæquatas fors malepacta domos  
 Soluo Deo grates, testis mihi iurat olympus,  
 Quod Titus ætherei pensa decoris habet.  
 Ad uestros graditur facundus athleta penates,  
 Ecclesias omneis uir grauitate replet.  
 Circumspectus apex comitem donauit ad omnes  
 Sanctorum turmas uir bonus atq; sacer.  
 Vnde mihi clari ueniant ad uota sodales,  
 Gratia cœlestis tam graue firmat opus.  
 Aurea sydereo fulgent exempla tonante,  
 Illa apud heroës sunt uelut æqua uiro,  
 Cum paribus socijs charum legamus Apollo  
 Is mera solliciti ferta laboris habet.  
 Dicite pro uobis quantos exarsit agones  
 Ille Titus nouit (quis sit athleta) comes.  
 O mihi tam charos audite cathenula fratres,  
 Quot memoro charites, uester adegit amor.  
 Capite IX. Apostolus suspicionem ex  
 cludēs docet eleemosynam esse dandam  
 uelociter, abundanter & hilariter.

**G**ratanti charites memini dum pectore, dicam  
 Quot pietas gentes libera ad arma tulit.  
 Misimus hos ad uos fratres, quum uenerit illuc  
 Classis, amicitias pars mihi sacra notet.  
 Viuida laus fuerit si uos ad dona paratos  
 Inueniat, Macedo si manus acta probet.  
 Commonuit ratio matura rogare sodales,  
 Muneribus foetas anteuenire manus.  
 En quid ego tenui canto dictamina uersu?  
 Nunquid uiscosas damnat olympus opes?  
 Quae sibi dextra tenax pace diffeminat agro,  
 Parcius haud dubie candida farra metet.  
 Cui copiosa seges, complebit & horrea messor,  
 Frugi paruusq; dabit quod sibi struxit ager.  
 Donet id expresso quod somniat ore uoluntas,  
 Non quod tristis amor, quod ue necesse iubet  
 Vult humiles animos caelestis imago, datorem  
 Iucundum simplex adprobat ipse Deus.  
 Rex Deus usq; potest in uobis diues abundet  
 Gratia, in omne bonum mens radiosa uolat,  
 Scriptum est pauperibus qui rem disperferit, inde,  
 Munificos referent tempora longa sinus.  
 Vilis autor adest, qui semina prompta ferenti  
 Suggestit, ac stimulat subdere colla boues.



Augebit uestras fruges cœlestis arator,  
 In cunctis locuples gratia rebus erit.  
 Huius item officij collucet splendidus axis,  
 Que sanctis desunt supplet honestus amor.  
 Actio stellimicans scandit quàm plurima cœlum,  
 Quod super humanum gratia splendet opus.  
 Vnde Panomphæo grates persoluo tonanti,  
 Et super arcanas gratulor orbis opes

Capite X, excusat se Apostolus de sibi  
 falso impositis, per facti euidentiam ac  
 per rationem & exempla.

**O**bscuro pars humilis Christi uestigia Paulus  
 Inter uos graditur, qui procul asper inest.  
 Vos rogo ne qualis præsentis lumine iactor  
 Dicar, & in uanum res mea uulgus erit.  
 Arbitrantur opus nos quidam carnis habere,  
 En alio defert mens bene docta pedem.  
 Spicula militiæ nostræ carnalia non sunt,  
 Turgida nam simplex comprimit arma Deus.  
 Dissipat elatas diuina potentia mentes,  
 Nil contra lepidum perstrepat aura sophos.  
 Cœlica iussa trahunt animos ad summa fideles,  
 Atq; eadem tractum cor documenta ligant.  
 Excidet impietas, quando data signa benignos

Fulgida consierint arma subire duces.  
 Quæ foris apparent quæ uultus uentilat index,  
 Cernite, ne stupidos pseudopropheta notet.  
 Si quis amore probo diuinos iactet honores,  
 Aequales habeo per sacra iura metus.  
 Haud me uerba pudet maiora referre, potestas  
 Est mihi quo gentes doctus athleta uocem.  
 Ne quis epistolium me fingere dicat, et usquam  
 Ne putet infirmos ducere ad arua greges.  
 Fortes atq; graues compto sermone tabellas  
 Scribo, nec obtusum lectio pectus habet.  
 Qualem pro chartis uocalia uerba uenustant.  
 Ex animo talem facta modesta regunt.  
 Audeo uix nusquam timidos asciscere flatus,  
 Quæ sonet hic uirtus munera sola probant.  
 Præter honestatis metas non gloria robur  
 Ardet, in humana nil sibi parte locat.  
 Coelica protendit candentes gratia dextras,  
 Tum labor externus brachia firma leuat.  
 Spes sacre fidei castum succendit amorem,  
 Quod uestro rutilans surgit ab igne salus.  
 Laudem qui poscit, laudem sibi querat in altum,  
 Non qui se tollit, scepra probatus habet.  
 Quem Deus ipse probat, quem uita laudat honestas,

ille sacrosancti stemma decoris habet.

Capite XI. Apostolus suam ponit commendationem, præmittendo rationem commendationis ex suis operibus & perpetratis malis.

**I**nsipiens utinam modicum quid peccatus oberrat  
Sustineant faciles in bona fata manus.

Vos feruenter amo, me Christi zelus inescat.

Vni nempe uiro sponsa ligata subest.

Ac ueluti serpens timeo seduxerit Aeuam,

Compositi sensus mobilitate ruant.

Barbara uersuti portant mysteria uates.

Atq; alium Christum (quàm mea dicta) ferunt

An ne minora caro, quàm magni oracula prophetae?

Doctor Apostolica grammata gesto manu.

Sim licet elinguis, nec sim sermone disertus,

Perprudens callet dia Minerua sophos.

Omnibus hæc uobis iam sum manifesta locutus,

Callida non uertit subdolus ora pudor.

An male pars geritur, quia res super alta ferantur?

Instituâtq; suum pagina sacra decus.

Vos docui gratis, alius stipendia soluit,

Gentis atrox miles nullius arma tuli.

Nam mihi quod deerat noti supplere sodales,

Hinc uobis nusquam miles onustus ero.  
 Hoc mihi dat Christi uerax sapientia uerbum.  
 Semper apud charos laudis amore fruam.  
 Cur ego carnales à uobis non traho sumptus ?  
 Scit Deus, id tractat semisepultus amor ?  
 Hoc facio & faciam, fallax occasio cesset,  
 Inuidus utq; mea laude uacarem queat.  
 Pseudo mihi tales fingunt noua iura prophetae,  
 Coelica non Christi pneumata regis habent.  
 Nil miram & satanas lucis radiosa figurat  
 Membra, quid est magnum si uarietur opus ?  
 Non est ergo satis uehemens argutia, fortes  
 Si sese ostentent pacis ad arma uiri.  
 Et si iusticiae ( nihil est ) tribuere ministros,  
 Talis erit finis, qualis in arte labor  
 Hec iterum dico, ne quis me ad inania credat  
 Tollere, uel stolidum iactet amare sophos.  
 Quod loquor id contra Dominum loquor, ardet inanis  
 Gloria non paucos, hac ergo parte fruam.  
 Incipiens uulgus cum sitis honore, micantes,  
 Acri suffertis flectere colla iugo.  
 Deuorat & si quis capit, aut extollitur, aut uos  
 In faciem cedat, fortis inane malum  
 Pars infirma manus isthac ignobilis orat,



Dum finitis fontes tangere centra uiros  
 In quo quis profert uelut insipientia dicat,  
 Audeo per similes labra mouere dolos.  
 Hi sunt Hebraei, quod Paulus, origine clari  
 Clarus, item semen nobilitatis ago.  
 Israëlitæ (quod ego) se nomine iactant,  
 Sunt Abrahæ soboles. His neq; prole minor  
 Se Christi recitant uigiles in facta ministros,  
 Dico minus sapiens, atq; minister ego.  
 Plus ego, & omnibus his maiora pericula fecit  
 Carcer, & in plagis plurimus ante labor.  
 Sæpius horrificas uiderunt lumina mortes.  
 Ac semel infæustus compulit ossa lapis.  
 Quadraginta mihi sat erant in uulnera plaga,  
 Quas ultra numerum gens mihi seua tulit.  
 Ter uirgis cæsus, ter naufragus æquora forbens  
 In pelagi fundo nocte dieq; fui.  
 Per uarios casus, per nulla pericula rerum  
 Intempestiuum fors mea uersat iter.  
 Res mea fluminibus diris supposita, latrones  
 Horreo, sunt gentes, sunt mihi damna genus  
 Urbani tentant damnosa pericula ciues,  
 In ponto casus, cæca pericula domi.  
 Fratibus in falsis serpentes nosco ruinas

Congerit ærumnas pressa labore fames.  
 Frigore suppressum macerant ieiunia corpus,  
 Me uigil ecclesæ sollicitudo grauat.  
 Quis putat infirmos me non sufferre labores ?  
 Dum fera bella tonant, scandala fessus ago.  
 Gloria si qua mihi est, id pars infirma notabit,  
 Nil ego sum mendax, scit deus id quod abest.  
 Alta Damascenæ seruabat moenia præses  
 Urbis, ut hic nostras perderet ense manus.  
 Sed minus illa mihi non obfuit, addita muro  
 Sportula (quo fugerem tela) repente fui.  
 Capite XII. commendat se Apostolus  
 ex diuinis reuelationibus, & ponit re-  
 medium contra superbix periculum, ac  
 seipsum excusat, ponens beneficia à Co-  
 rinthijs impensa.

**H**Ac re si laudes cupiam captare superbas  
 Non satis expediens integrat ora pudor.  
 Omnipotens ad hæc ueniam quæ nuper olympus  
 Prodidit, edicam uisio quanta fuit.  
 Quatuor ille decem nondum perfecerat annos,  
 Quando fuit sedes tertia nota poli.  
 Corporis in specie, siue extra (nescio) corpus  
 At Deus hunc hominem scit super astra rapi.

Is parady

Is paradysiacos penetrauit spiritus axes,

Non licet hæc hominem condita uerba loqui.

Hæc ego laude trahor, celebris me hæc gratia tollit,

Et leuat infirmum pars mihi blanda pedem.

Inspiciens quid ero si laus interna decori

Rideat? infaustus non gerit arma rubor.

Vera fatebor, id est, quod me non doxa pusillum

Tollit, ne ex me aliquid turba misella putet.

Et ne magna uirum reddant ostenta ferocem,

Qui carnem stimulet stat ferus ante Satan.

Propter quod Dominum semel ac bis terq; rogauit

A me tam dirus cæderet hostis, erat.

Ille mihi tandem placido tulit omine fatum,

Dum mea sat fuerit gratia, magna potes.

Num sudore quies, uis bellica Marte probatur?

Difficiles uirtus laxat in arma sonos?

In me quo Christi bonitas, & coelica uirtus

Fulgeat, exiguos laudis amabo sales.

Tunc mihi complaceo dum trux tortura dolorem

Aggerat, & corpus dira flagella premunt.

Quo duce sub Christo decario, potentior adsum,

Quò magis infirmor uis grauiora potest.

Inspiciens factus stolidas enuncio partes

Tam nemesis firmum uestra coëgit opus.

AD CORINTHIOS.

284

Num mea debuerant à uestro iure probari?

Nil minus à magnis uatibus arma fero

Etsi sim paruo, uili quoq; fractus honore,

Attamen hic mea res signa probata refert.

Signa, potestates, foelix & amabile numen

In uobis ego uir prodigiosus ago.

Quid minus Ecclesis alijs habuistis? auarus

Si quid ego extorsi, dicite, damna luam.

Iam semel ac iterum uos terq; uidere paratus,

Ad uos si ueniam, non grauis hospes ero.

Non quæ uestra domum replent celaria, sed uos

Quero, salutiferum uox mea poscit iter

Non thesaurizant nati genitoribus, ast his

More patres solito ditia iura legunt.

Ipsè quid? en uestras animas in uiscera gesto,

Ac super impendor, diligar esto minus.

Nil ego surripui uobis nullumq; grauau

Hac quoq; crudescens non fuit arte dolus

Dicite si quenquam ex uobis fraudauerit hospes

Missus ad electos per mea scripta uelim.

Ipsè Titum monui, pariter cum fratre Corinthum

Perrexit, uestras an ne subegit opes?

Ambo quidem simili processimus ordine, talis

Congressus, cor idem, par quoq; pneuma fuit.

Creditis



Creditis hæc olim fugiam dispendia famæ?

Tristis erit Christus, quod sacra uerba loquar

Non malus excusat uerbosi carminis ardor,

Sed grauis accendit pectora casta Deus.

Prorsus ego uereor patrios dum uenero fines,

Haud fitis quales pro ratione uelim.

Aemula uis fastus, animosa superbia iactet,

Lingua susurriones seditiosa uiros.

Si tales habeam uitiosa peste ministros,

Infortunatas ipse dolebo uices.

Horrendos nec adhuc mores plorauit adulter.

Pœnituit nec uos turpe subisse malum.

Capite, XIII. uituperat Apostolus ad  
herentes falsis prophetis, cōmendando  
persistentes in uera doctrina demumq̄  
ponitur salutatio.

**T**ertius accedo, ueniens impendo salutis

Arma duo uel tres signa pudoris habent

Hæc ego prædixi, præsentem oro cateruas

Crimine pollutam mundificare manum.

Si rursus ueniens sceleris uestigia norim

Vix ego tam grauibus parcere quibo malis.

Experiar uultis monstrem uel qualis apud me

Christus? adest uobis qui sator alta potest.

Cuspide

Cuspide confossos humilis rex tradidit artus,  
 Nunc uirtute potens uiuit & astra tenet.  
 En sumus infirmi paulum rectore sub illo,  
 Surgimus in uestro dum tonat orbe fides.  
 Vosmet in extenta suspendite lance ministros,  
 Si uigil obseruet moenia uestra polus,  
 Nonne satis notum, quia princeps Christus abunde  
 Praesidet in uobis? hoc nisi culpa nocet,  
 Spero quidem reprobos me non inferre penates  
 Noscitis arcanum quod mihi numen inest.  
 Ut nihil oramus patretis carcere dignum,  
 Sed quod iura probant aedificetis opus.  
 Ne simus reprobi, ne flagrans corrigat index.  
 Ad taxanda pigros iudicet esse manus.  
 Nil coram superis pro uero dicere falsum  
 Possumus, ad uerum nos sacra iussa uocant.  
 Gaudia captamus, quum simus marte pusilli,  
 Vos habeat duros cornea fibra duces.  
 Pergite, mortales captes mea causa triumphos,  
 Virtutem sapias, non ferus obstet amor.  
 Esse uiri fortes, gaudete sub oscula Christum,  
 Atq; sacrosanctas pacis habere domos.  
 Vos omnes sancti nostro de more salutant,  
 Reddite tantillas mutua ad ora uices.

Gratia,

*Gratia, pacis apex, charis aurea, spiritus almus,  
Pectoribus claris sit sacer ardor, Amen.*

DIVI PAULI GENTIVM AC

*Christi ecclesie doctoris ad Galat. epistola  
una, Francisco Bonado Angerie  
presbytero paraphraste.*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM  
ad Galathas.

*Galathæ sunt Græci, Hi uerbum ueritatis primas  
ab Apostolo acceperunt, sed post discessum eius tentati  
sunt à pseudoapostolis ut in legem & circumcisionem  
uerterentur, hos Apostolus reuocat ad fidem ueritatis  
eis scribens ab Epheso.*

Capite I. redarguit Apostolus Galathas de ueloci translatione ab euangelio Christi, quod tamen apostolus non ab homine accepit, nec ante suam conuersionem nec post, sed à Christo.

**P**aulus Apostolicæ per Christum buccina uocis  
Fratribus has Galathas credo salutis opes.  
Aurea compositæ concedit munera pacis

*Rex deus omnipotens, gratia Christus adest.*

*Christi*

Christus ut hoc nequam mortales solueret orbe,  
 Crimine pro nostro membra serena tulit  
 Illa panomphæo fuerant sic uisa tonante,  
 Cuius in æternum gloria tempus, Amen.  
 Miror, & usq; satis, me uestra proteruia lædit,  
 Instabilis quod agat corda supina fides.  
 En non est aliud præter quod scribere uobis  
 Suaserit æthereum dia Minerua sophos.  
 Qui uos inturbant (euertere munera Christi,  
 Et quod uos docuit nostra minerua) petunt.  
 Nos licet aut quisquam de cælo nuncius adsit,  
 Qui doctam lacerant) sint anathema sophos.  
 Barbara si quæ sint quæ non prædiximus ipsi  
 Conspuimus, uerse sint anathema uices.  
 Quero uiris placeam: uel soli mens mea Christo  
 Hæreat in Christum uis mea pectus habet.  
 Numine qui spreto reges uenerantur in orbem,  
 Perfida uult ratio dissipet ora tonans,  
 Non Euangelium fratres quod charta notauit  
 Ex homine accepi, dos mihi Christus inest.  
 Audistis Sauli furias, audistis erynnim  
 Dum primas Christi persequeretur oues.  
 Quum uir Iudeus Solymas ferebatur ad urbes,  
 Sedulus antiqui dogmatis actor eram,



Ast ubi sum magno uisus placuisse tonanti,  
 Eductum patria me quoq; matre tuli,  
 Ad sacra barbaricas portauit grammata gentes,  
 Vnigenam dixit gratia prome Deum,  
 Non me blanda caro, nec sanguis pectus obiuit:  
 Nec mihi dux proprio fluxit ab ore lepos,  
 Continuo Solymos socia grauitate parentes  
 Non adij, sed Arabs cognitus, atq; solum.  
 Post Arabes notos, altam repedare Damascum  
 Mens fuit, hic annos tres mihi luna dedit.

Hinc Solymas rediens Petrum saluere Symonem  
 Complacuit, certos & numerare dies.

Non alios mystas uidi, sed apostolus unus

Hic frater domini tunc Iacobus erat,

Ardua Iudaeae clamabant oppida nunquid

Nuper Christigenas hic sequebatur auos.

Nonne fidem torfit, quam nunc paranympus adorat

Sic uulgo Christus me duce notus erat.

Capite II. ostendit Apostolus circuncisionem non esse necessariam ex approbatione & autoritate aliorum Apostolorum, & insultat Petro qui uidebatur aequaliter circuncisionem palliare, concludens legalia non esse seruanda.

**P**ost orbés aliquot, tria lustra anno minus uno  
 Conscendi Solymæ festa theatra domus.  
 Barnabbam atq; Titum coluit pars nostra fideles,  
 Cum quibus exposui quod fero mercis onus.  
 Sic iuuit claros Christi tentare prophetas,  
 Lacteo ne uanus proderet ora labor.  
 Sed Titus externo qui mecum uenerat orbe,  
 Non mihi petroso conscidit ense cutem.  
 Id propter pseudo memini: nam turbine iacto  
 Explorant sacrum religionis opus.  
 Ius libertatis captamus, eis nec ad horam  
 Cedimus, ut uobis impiger adsit amor  
 Non quales fuerint, satagit mea cura referre,  
 Qui nunc sint aliquid sub grauitate duces.  
 Scilicet humanos tantum coelestia cursus  
 Accurrant? superos non mouet iste labor  
 En qui summates, nihil ad mea dicta tulerunt,  
 Aurea mirificum gratia scalpfit opus,  
 Credita sic mihi res fuit ad præputia, Petro  
 Sicut in Essæum sors fit amœna gregem.  
 Constantes fidei quos dicunt esse columnas  
 Auxiliatrices contribuere manus.  
 Sic grex sollicitus populum curabat utrunq;  
 Ipse ego et humana tunc memor artis erant

Antiochena Petrus quando uenisset ad arua,  
 Restiti ei in faciem, uir capiendus erat.  
 Gentiles inter captabat ut ethnicus escas,  
 Has quoq; concisis esse uetabat opes.  
 Iam mihi Barnabam seduxerat ille, ruinam  
 Prospiciens Cephæ uerba notanda tuli.  
 Sis quum Iudæus non uiuis, at ethnicus, ô quid  
 Iudæum gentes cogis habere salem?  
 Nos sic natura Iudæi, gentibus ipsis  
 Errantes populi lege tonante sumus.  
 Disco nec ignoro, quod lex mihi cœlica donet  
 Regna tenet Christi suprema fides.  
 Ex legis pretio nullus confurgit in altum,  
 Illa uolutabro sus uelut icta iacet.  
 Quod si iustificos Christo ducere carpimus axes  
 Absit ut in Christum criminis arma ferant.  
 Legi per legem sum mortuus, ipse tonanti  
 Ut Christo uiuam me crucifixit amor.  
 Si quod iam perijt, rursus nascatur, id ipsum  
 Quod modo perdiderim cursat in extra scelus  
 Viuo quidem nec ego me uiuo spiritus alter,  
 Vitalisq; sacro pectore Christus inest  
 Nunc quod ego uiuam peregrina carne, tonantis  
 Altithroni soboles religiosa tulit.

Vsq; dei soboles sua membra tetendit ad aras  
 Quo moriens pro me non premeretur amor

Gratus item domino sum, si lex ipsa salutem

Adferat, incassum funera Christe subis.

Capite III. increpantur Galathæ ostendens Apostolus imperfectionē Moisaicæ legis: dicit iusticiam esse ex fide annectendo legis utilitatem.

**O** Insensati Galathæ quis turbidus auster  
 In facies uestras carmina cæca spuit?

Perpudet heu quid uos Christo parere tonanti,

Ante oculos quorum rex crucifixus inest.

Hoc solum à uobis cupio perdiscere, pnuma

Ex opibus legis surgit, in aure fides?

Sic uos stultus amor, sic uos malus implicat error,

Mens est principium, sed caro finit opus

Tantula perpeffi fuerint certamina ciues

Vanus ut in tanta commoditate labor?

Qui uobis animum laxauit in acta uirilem,

Auditum fidei uis operosa tulit.

Prompta fides Abrahamæ diuinum exarsit amorem.

Iusticiam pietas religiosa dedit.

Dicite quæso uiri, quot sunt ratione fideles,

Tot natos Abrahamæ rex generosus habet.



Ex fidei pretio rapiuntur in æthera gentes,  
 Iustificat locuples fortia corda Deus.  
 Hæc Abrahæ quondam prædicens ætheris autor,  
 Venturum scierat dexteritatis opus.  
 Qui fides partes sapiunt, benedictio sensus  
 Insignes Abrahæ larga fidelis habet.  
 Vos sibi compensant, qui legis opuscula credunt,  
 Hic sibi cœlestes conciliare foros.  
 Scribitur hanc in rem, sed fallunt scripta legentes  
 Nulla quidem legis sanctio firmat opus.  
 Clara fides superat, iustus pro minime uiuit,  
 Non est in ueteri candida lege salus.  
 Ex infelici maledicto legis ademit  
 Christus pro nobis fit maledictus apex.  
 Laureæ per Christum decorat benedictio gentes,  
 Alma fides Abraham foedere iuncta polo.  
 Ista loquor fratres ut homo superordinat, aut quis  
 Spernit ab humano condita iura sene?  
 Promissas Abrahæ generi dum colligo partes,  
 Fulget in excelsum res pretiosa decus.  
 Non in seminibus multis, sed dixit in uno,  
 Quod Christum sacra sub grauitate sonat.  
 Post quadringentos triginta lex fuit orbis  
 Facta, Deoq; fuit non uiolata fides

## AD GALATHAS.

381

Sic data perpetuum strinxerunt uincula fœdus,  
 Cœlica nec uacuus fœdera soluit amor.  
 Quod si lex heres supero succedit honori,  
 Si promissa uacent, nil data iura ferunt,  
 Num repromissis Abrahæ donauit olympi  
 Factor inexhaustus quod sibi comit amor ?  
 At quid lex durum sustollit in ardua cornu ?  
 Ob transgressores fixit in arma pedem.  
 Fixit in arma pedem, donec pro crimine corpus,  
 Tum daret amissas res mediator opes.  
 Non est unius mediator, at est Deus unus,  
 Lex nusquam uiolat, quod sacer ordo iubet.  
 Si data lex hominem uitales ferret ad auras,  
 Iusticie partes pro mihi lege forent,  
 Omnia peccato lex clausit scripta tonantis.  
 Pro grege ni seruent fœdera pacta fidem.  
 Ante fides quàm rara suum uenisset in orbem,  
 Lege sub hac clausos uidit amara greges.  
 Lex fuit à Christo sapiens instructor, ouanti  
 Quo lutulenta fide iustificetur humus  
 Mox ubi sancta fides adcessit, amore sinistros,  
 Laudibus insignes lex uelut autor habet.  
 Ex fidei nexu constat diuina propago,  
 Christi genas ex hinc traxit imago pares

Qui baptismales Christi uenistis ad undas,  
 Induitis nomen quod sibi Christus habet.  
 Non est Iudæus, neq; par facundia Græcos.  
 Tollit, apud dominum mas, neq; sexus inest  
 Gentibus ex multis grex unus & una propago,  
 Heredes Christi dexteritate sumus.

Capite IIII. ostendit Apostolus cessationem legalium per duas similitudines interposita Galat. in gratitudine.

**D**ico tamen quanto sit tempore paruulus heres.  
 Is nihil à serui pegmate distat herus.  
 Nos ita quum mundi paruos elementa domarent  
 Triste coarctabat libera colla iugum.  
 Sit quamuis rerum dominus, tutoribus insunt  
 Omnia, donec atrox à patre tempus eat.  
 Ast ubi successit completi temporis ætas,  
 Progeniem supera misit ab arce polus.  
 Chara dei soboles muliebrem uersa per aluum  
 Prolis adoptiuum germen ad ima tulit.  
 Ille propago Dei princeps ac legifer orbis,  
 Legibus adstrictos soluit athleta duces.  
 Quum sitis magni cœlestis imago parentis,  
 Clamauit in uobis spiritus Abba pater.  
 Iam non est seruus, sed prolis constat honestas,

Quod

Quod si filius est, iura paterna, polus.  
 Nunquid aberrantes statim colebatis ad aras  
 Gentiles statuas, scrupea saxa deos?  
 Cœlitibus noti cur uultis ad ima scelestos  
 Nunc elementa rudes præcipitare gradus?  
 Menses atq; dies seruatís tempora & annos,  
 Heu uereor nostrum demoriatur opus.  
 Este mei similes, ut ego uiuatis, & ipsum  
 Quod modo destruxi, pellite mortis onus,  
 Obsecro me fratres nil uos læsisis amici.  
 De uilibus scitis me cecinisse tubis.  
 Non in carne graui temptatio uestra repulsa est,  
 Stelliferæ uobis angelus arcis eram.  
 Angelus alter eram, uel sicut Christus apud uos,  
 Ubi dexteritas? ò ubi mentis honor?  
 Testis enim dicar fieri si posset, ocellos  
 Donassent uestre pignora chara manus.  
 Ah ego si uobis sim ueri nuncius, hospes  
 Aut grauis infelix aut inimicus ero?  
 Zelus inest ardens (sed non bene) pseudoprophetis  
 En ligat incautos dædala lingua pedes.  
 Qui bene morati, doctores atq; magistros.  
 Sumite, dum præsens rhetoris aura sonat.  
 O mea progenies, rursum uos gestat honestus,



Finibus optarem Græcis modo nuncius esse,  
 Quo legerent acres uerba modesta sonos.  
 Cur ita sub uobis confundor? uultus amarus  
 Vultis abyssales legis obire lacus?  
 Legistis fratres Abraham genuisse puellios  
 Verna quidem primus, liber & alter erat.  
 At qui uerna fuit pro carnis fomite natus,  
 Legitimas partes spiritualis habet.  
 Adloquium hocce uetus duo testamenta figurat.  
 Matribus ex geminis uulgus utrunq; subest,  
 Ancillatus ager quæ libera nempe triumphat  
 Dulcis Hierusalem nostra superba parens.  
 Scribitur, ô sterilis quæ non paris, excipe mater  
 Gaudia, tu quæ non parturis alta roges.  
 Quàm populosa uigent decerte pignora matris?  
 Quàm cui sponsus inest, copia maior adest.  
 Isaaci fratres sequimur promissa tonantis  
 Ex illa soboles dexteritate sumus.  
 Ut qui carne satus fratrem mordebat in horis  
 Sic modi qui parta spiritualis erat.  
 Filius ancillæ cum iusto non erit hæres,  
 Semine, non carni pars generosa subest.  
 Nil sumus ancillæ fratres impura propago,  
 Christigenas proceres libera iura decent.

Capite v. inducuntur Galathæ legalia  
non obseruare propter malorum euasio  
nem, deinde ex consequutione honorū  
& distiguantur opera carnis & spiritus.

**S**tate igitur, nolite iugum sufferre laboris,  
Impius haud repetat colla subacta pudor.

En ego sum Paulus, nec iura prophana reuelo,  
Si recutita placent p̄neumate Christus abest.

Rursum testificor carnis qui pegma requirit,  
Legis inexpletum soluere debet opus.

A Christo uacuos sis gratia plena reliquit,  
Qui sub lege sacras creditis esse domos.

Iusticiæ partes fidei censura moratur,  
Tam solidum pectus p̄neumâq; spesq; tulit.

Scissio nil prodest, claudit præputia Christus,  
Fortis amore fides grande laborat opus.

Ad fortunatos tendeb ant carbasa portus,  
Nuper & incur su nauita prosper erat,

Quis nauis contum? quis sorpsit linthea gurgess?  
Aut quis præcipites impluit hauster aquas

Quis uos à recto discussit tramite uerit?  
Cur Euangelicæ tunditis æra domus?

Non celeres uentos tam nobilis alta sequatur,  
Hæc non stellimicans influit ora deus.

Fermenti modicum massam corrumpit & ingens

Certamen tenuis militis hasta iacit.

De uobis claras spes ingerit alma salutes,

Præter quod posui non sapiatis opus.

Vos qui conturbat quicumq; sit ille, probabit

Verbera terrificæ sanguinolenta necis.

O si iudæis iubeo legalia seruant.

Quid precor infestos digero mente sales,

Hæc ita si fiant, tolluntur scandala Christi,

Dispereant qui uos mortis ad ima trahunt.

Vos ita libertas non carnis ad æqua uocauit

Fœdera, sed charites iungat honestus amor.

Omnis enim legis pars una uoce ligatur,

Vt te ipsum curas, proxima iura probes.

Spicula si iunctos mordent hostilia fratres,

Fraternum perimit torua machera decus.

En ego sub Christi porto uexilla timore,

Oro idemq; sacra sit ratione modus.

Audax tanq; ferox animam ferit ægra uoluptas,

Spiritus in carnem bella cruentus habet.

Hæc ita discordes agitant contraria pugnas,

Vt quod uos uultis non faciatis opus.

Quod si uos ratio per clara palatia ducit,

Antiquas legis non celebratis opes.

Carnis gesta nigrent quæ rex reprobavit olympus.

Luxus, adulterium, & quæ pudet ora loqui,

Fornix ac immunda Paulus, dissensio, rixæ,

Ebrietas, odium, trux, homicida, scelus.

Singula quæ uobis memoro dixiq; nephandos,

Clara mares cœli creditis astra petant

Sunt mentis fructus, charis, ac patientia rectum,

Mansuetudo, fides, pax, moderatus amor.

Qui rectas sapiunt non est confusio partes,

Sed sua qui grauibus corda ligare malis.

Capite VI. monet Galathas Apo-  
stolus mutuam supportationem, & con-  
firmat dicta de cessatione legalium.

**V**itales nobis quum donet spiritus auras,

Formosos eadem dirigat aura pedes.

Gloripetas fallax non gratia pingat inanes,

Nec uos inuidiæ ducat in arma furor

Si quisquàm uestrum peccati mole grauetur,

Leuia ad errantes tollite flagra sinus.

Non fuit ille bonus qui prauos ferre nequiuit,

Scito, caue, lapsu ne grauiore ruas.

Alterius duos alter portate labores,

Vt solidum Christi perficiatis opus.

Qui putat esse aliquid quum nil sit, uanus in auras



Fertur, & effraeto discutit alta pede.  
 Quisq; suum decernat opus, non fabricet alter  
 Quod tua surripiat desidiosa manus.  
 Quisq; sui fasces portabit, athleta ruboris,  
 Aut animi sacras quisq; uidebit opes.  
 Is sibi communes habeat cum rhetore mensas,  
 Discipuli qui se iura tenore probat,  
 Vos tamen in turpes latebras nolite pudoris  
 Currere, non falli rex deus ipse potest.  
 Qualia terrenus plantauit semina cultor,  
 Talia messoris rustica dextra legit.  
 Ah qui carnales tam molliter inserit aestus,  
 Num de carne furens iura petulca metet?  
 O qui sanctificans coelesti pneumate uerbum  
 Prompserit, eternæ frugis aceruat opes.  
 Nunc uitæ probitas, iam firma potentia nobis.  
 Ut non in cursu deficiamus habet.  
 Ergo medulares super his ueneremur amicos,  
 Dum locus est pacis tempus & aura seruit.  
 Ediderim quales sub dicta uideate figuras,  
 Scilicet illa mea sunt mera scripta manu.  
 Heu quicumq; uolunt molli sub carne placere,  
 Gaudent concissos sua in uincla greges.

AD GALATHAS.

399

Sic uos ridentes de uestra carne triumphant.  
 Ut crucis horrificum non patiantur onus.  
 Vnde mihi captem nisi Christo principe laudes?  
 Per quem nil mundo, nec mihi mundus inest.  
 Quid circuncisus Christo, præputia nil sunt  
 Sydereos apices at plasis alma tenet.  
 Quicumq; hoc fuerint (pax illis) dogma sequenti,  
 Tum super Israël crescet amore salus.  
 Nemo mihi tristes exhinc motare quærelas  
 Audeat, en Domini corpore signa gero.  
 Cœlica uerbigenæ uos Christi gratia fratres  
 Oppleat, atq; eadem gratia seruet Amen.

ARGUMENTVM IN EPI-  
 stolam ad Ephesios.

Ephesij sunt Asiani, hi accepto uerbo ueritatis in fide  
 de perstiterunt, hos collaudat Apostolus scribens eis  
 ab urbe Roma de carcere per Tichicum diaconum.

Capite I. ponitur aliquorum diuina  
 prædestinatio, & recolun-  
 tur diuina beneficia fa-  
 cta Apostolis & E-  
 phesijs.

Paulus



AVlus Apostolici duce Christo  
cura senatus.

Christicolas Ephesi charta se  
luto patres.

Gratia pax uobis à patre qui  
ta supremo,

Qui super immensum rex super ardet opus.  
Vos beat Empyreo residet qui clarus in axe,  
Humanam Christo qui bene dixit humum.  
Ante pater retum quam magnum fingeret orbem  
Viderat in uultus que foret alma seges,  
Sciuit adoptiuos per Christi iura nepotes,  
Sessoresq; habuit sedis ad alta uiros.  
Bellula tam claros adiunxit gratia ciues,  
Fluxit & à proprio sanguine blandus amor.  
Peccati ueniam nanciscimur ære soluti,  
Carpimus & rutilas dexteritatis opes.  
Hoc cœleste bonum prudens sapientia nobis,  
Intulit, ut placidi dos stabilita foret.  
Has instaurarunt fœlicia tempora leges,  
Aurea iam noster secula Christus habet.  
Quid mare, quid tellus, quid fortunatus & æther  
Sustinet à Christo fertur habere uices.  
In quo nos etiam præsciti mente uocamur,

Omnia consilij qui gravitate probat.  
 Laudis ut egregios iamiam captemus honores,  
 Nostra sub hoc Christo spes radiosa fuit,  
 In quo vos pariter mature signa salutis,  
 Fertis ad extremas leta trophæa domos.  
 Hinc ego solennes iacto super æthera plausus,  
 Ingenue partis quum fero mente fidem.  
 Ut sacer alta rogo præstet donaria flamen,  
 Almifluumq; pati cum gravitate sophos.  
 Tum merus imploro tristes illuminet umbras,  
 Noscatis felix unde feratur amor,  
 Inter opes cultas quam coeli gaudeat hæres,  
 Aut quæ spes animæ signat honora salus.  
 Vergit in exemplum suprema potentia Christo  
 Tradita, cui genitor contulit astra Deus.  
 Ille potentatus terras dominatur in omneis,  
 Quicquid & immensus nominat orbis habet.  
 Omnia sub pedibus uelut ille monarcha subegit,  
 Cuius in astra suum iactat imago caput.

Cap. II. inducuntur Ephesij ad gratiarum actiones, qui sunt à peccato liberati & ab alijs gentibus segregati.

**O** Fera mortales quum vos peccata ligarent,  
 Morte catenatos soluit apertus amor.



Sic uos urgebant fallacis secula uitæ,  
 Princeps tempestas aëris huius erat.  
 Despectos animos infelix spiritus adflat,  
 Sordida carnales ducit ad arma uiros.  
 Natura turpes ut cætera turba gehennæ,  
 Mcesta Dei flagrans ira subibat onus.  
 At Domini pietas charites quam mille coronant,  
 Funeribus mersos uexit ad astra greges.  
 Hæc datur in Christo tam prospera uita tonante,  
 Nos qui cœlestes dant super ire thronos.  
 Cur ita diuitias ut secla futura potentes  
 Captarent, Christo res foret æqua duce.  
 Ex sacræ fidei monumentis surgit honestas,  
 Hæc tamen ex uestra non uenit arte salus.  
 Illa Dei dono (ne fallat gloria) cedunt,  
 Non ex factorum est dexteritate modus.  
 En sumus in Christo cœli factura creati,  
 Ac Deus edocuit quo gradiamur uer.  
 Hec propter memores alias estote malignis  
 Legibus addictas consituisse manus,  
 Tum uelut errantes sine numine turba uocati,  
 Non domus Israël, ac sine patre duces.  
 At nunc sincero genitales sanguine Christi  
 Estis, & heroa uos Deus arce locat.

*Ipsè quis est? pax nostra, quid hostibus intulit? unam*

*Rex bonus ex gemino pariete clausit humum.*

*Hæc inimicitias extinxit pacis origo,*

*Lex quoq; mandatis imperiosa subest.*

*Iam nouus hoc scit homo, quæ sint mysteria pacis*

*Celsus amicitias conciliauit apex.*

*Magnus ab altithrono descendens orbe propheta*

*Pacificus uates aurea secla tulit.*

*Hoc ductore poli rutilos properamus ad axes,*

*Dat quoq; sydereo cum patre pnuma loqui,*

*Non aduentitios uos barbarus excipit hospes,*

*Conscriptos patres at sacer orbis habet.*

*Fundamenta sacri gestant insignia uates,*

*Vos & Apostolicæ sustinet aula domus.*

*Auratus paries in lucida templa leuatur,*

*Christus in augmentum marmora uiua dedit.*

*Hinc sacrosanctas in uobis fabricat ædes*

*Spiritus, unde charis, tum radiosa fides.*

*Capite III. præmitur Apostolus ad*

*orandum pro Ephesijs dispositionem, &*

*pro eis orat totum eorum bonum Deo*

*attribuendo.*

**H***uius enim causa pro uobis Gentibus ipse*

*Verbigenæ Christi uinctus athleta feror.*

Si tamen audistis nostri mysteria cursus,  
 Auribus intonuit coelica musa meis,  
 Christicolam finxit prudentia rara ministrum.  
 Non tamen has sensit gens aliena uices,  
 Barbaricæ genti fuit hæc concessa potestas,  
 Vnius est hæres participansq; domus.  
 Cuius? olympicæ, quo dicam principe? Christo  
 Sic Euangelicus præbeat ora lepos  
 Hinc grauis altiloquum me uatem gratia finxit,  
 Illius immensas hinc ego seruer opes,  
 Gloria tanta mihi gentes lustrare superbas  
 Quo niueum rutilet per tenebrosa iubar.  
 Iam noua coelestes mirantur secula gazas  
 Aurea si sedeat propper in astra Deus?  
 Sic sic respondet sapientia, fortis & ingens  
 A paradisiaca defluit arce salus.  
 O sophis edicas hic quis suspenditur index?  
 Christus, ad astra Dei si licet ire? licet.  
 Spes igitur nostros refouet super inclyta cursus,  
 In patris amplexum filia numen habet.  
 Propter id oro frequens, dum me grauis aura fatigat  
 Ne fluat è uestro regia corde fides.  
 Huius enim causa Christo mea colla tonanti  
 Flecto, Deus clemens sæpe uocatus adest.

Arcanas ut opes det uobis alta potentis  
 Comiter imploro sceptrā uidere manus.  
 Cum manibus sanctis cœlestes prendere mensas  
 Oro panomphæi cernere & astra Dei.  
 Aut maiora ferat quàm posco, uel aurea uirtus,  
 Suggestit aut nobis quidūe operatur amor.  
 Pangimus illustres Christi pro laude triumphos,  
 Cui per secla micans gloria splendet, Amen.

Cap. IIII. instruit Apostolus Ephesios ad seruandam ecclesiasticam unitatem, in connexionē & distinctione membrorum, ac deinde inducit ad morum honestatem.

**O**bscuro quam norit quam quisq; probauerit artē  
 Instructum & faciat pro ratione sophos.

Delitiosus amor fraternum portet honorem  
 Dum studeant animi pacis habere modum.

Vna quidem uoti series in corpus, & unum.  
 Pneuma, uelut multos spes animosa colit.

Vnus rex Dominus, fidei una resultat imago,  
 Vnaq; baptismi dexteritate salus.

Vnus item rerum sator ac Deus, omnia nobis  
 Omnibus, & cunctis præsidet, atq; regit.

Vnicuiq; datu (uelut est donatio Christi)

Gratia, munificus pondera rector habet,  
 Rex bonus adscendens humanis dona rependit  
 Lucida captiuos duxit in astra patres.  
 Quid Deus adscendens partes descendit ad imas?  
 Ima triumphator uisit & arua Deus,  
 Qui descendit is est, qui summus in æthera scandit  
 Quem probat excellens totius orbis apex,  
 Dona uiris sunt hæc, hic Apostolus, iste propheta,  
 Ille Euangelij sensa uerenda potest.  
 Turba quidem gaudet pastoris munere sacro,  
 Iura magistratus inuiolata docent.  
 Ex hinc Christicolæ nos censent iura ministros,  
 Donec susceptum perficiatur opus.  
 Vnanimis donec fidei ueniamus in orbem,  
 Nouerimusq; sacras religionis opes.  
 Aut sacra perfectos Christi nos uiderit ætas,  
 Creuerit & nostro pectore cana fides.  
 Fallacis sophiæ sinuosa sophismata mi grex  
 Discute, sordidulos ne uibret aura sinus.  
 Ore licet casto ueraces simus in illum  
 Qui caput est Christus, quo patre membra sumus,  
 Membra serenatis compagibus unde ligantur?  
 Corporis augmentum perficit æquus amor.  
 Hoc ita discutiens mihi regem testor lesum,



Ne uos Gentilis comprecor error agat.  
 Aethica procliuēs comat discretio uultus,  
 Ne trabat infixum pars uerecunda pedem.  
 Crimen auaritiæ uirosūm pellicit ulcus,  
 Format & instabilem noxia cura metum.  
 Vos ita non Christum per me didicistis, ab ipso  
 Nec scelus audistis, uel quod inane putent.  
 Quæteres animi residues suspendite formas,  
 O noua cœlestem sumite membra uirum.  
 Garrula tollentes uolucris mendacia linguæ  
 Vnusquisq; suum præstet amoris opus.  
 Accensos animi compescite uota furores,  
 Nec super impatiens crastinet ira caput.  
 Mollia syrpossus ne uincat pectora demon,  
 Parcite sanguineas ora ligare manus.  
 Qui furabatur iam non furetur idipsum  
 Quod rectum cœlo, dextra laboret opus,  
 Candida multiloquus ne frangat guttura sermo  
 Intempestiuo non fluat ore malum.  
 Si bonus, edificet pia gratia nomen, odorem  
 Famæ uiuacis flos speciosus amat.  
 Id nolite rogo sacratum pneuma fugare,  
 Sub quo signati, quo duce parta salus.  
 Durus item clamor, blasphemia foeda recedat,

*Sensibus arcanis non simuletur amor.  
 Claudicet impietas, ferias clementia pactum,  
 Quale sub unigena principe munus inest.*

Capite v. Apostolus inducit Ephesios ad sequendum Christum in feruore charitatis, in decore sanctitatis ac ueritate cognita, & instruit personas matrimonio iunctas.

**C**Hara Dei soboles sacra post uestigia Christi  
 Aureolos transfer post data signa pedes.  
 Inspice cordatis animis quo Christus amore

*Arserit humanas hostia factus opes.*

*Luxus, auaritiæ Babylon, scurrilis & astus*

*Dispereant, celebres aurea gesta ferunt.*

*Improba compositos detractant ludicra sensus,*

*Letitiæ charites actio laudis habet.*

*Hoc scitote uiri, quod nullus adulter, auarus,*

*Nec sacer impostor cœlica regna tenent.*

*Nemo sum almisonis supponat inauia uerbis,*

*Ventilat obscœnos uiuida flamma sues.*

*Participes horum nusquam ueniatis ad usus,*

*Qui mala pro uota desidiosa probant.*

*Nuper ut incauti tenebras coluistis inertes,*

*Luminis in Domino nunc precor esse uiros.*

Lucis enim fructus, probitas, & iuris imago est,

Almaq; ueraci crescit in ore salus.

Quæso probate uiri, quænam sit alta uoluntas,

Luxibus admixtas destituatis opes.

Dicere sancta licet, sed dicta prophana ueremur

Variet, infandum gratia celat opus.

Omnia quæ taxo gemmata luce uidentur,

Lumen item spargit quod manifestat opus.

Autumat hinc uates qui dormis surgito, Christus

Lustrabit tenebras, surgito, somnus obest.

Dicite solertes firmant uestigia gressus,

Ecce mali (querimur tempora fluxa) dies.

Vnde uiri fratres quæ sit rogo diua uoluntatis,

Non uelut imprudens discite quæso caput.

Soluere purpureum casti nolite pudorem,

Ne domet ignipotens ebria corda Venus.

Iam propè cœlestes meditentur carminis odas

Pectora, dent gratum cantica festa melos.

Fortia tranquilla tractantes fœdera pacis,

Religione sacrum uulgus amate pares,

Ac ueluti regi subdatur foemina sponso,

Ceu caput Ecclesiæ cœlicus autor habet.

Sicut & Ecclesiæ uirtus est subdita Christo,

Sic mihi domino sponsa uenusta subest.

Vxores uestras (sicut dilexit amator  
 Ecclesiam sponsam Christus) amate uiri.  
 Hanc uitæ uerbo mundans se tradidit ille  
 Quo sine res macula glos speciosa foret.  
 Vxores uestras faciles portate mariti,  
 Qui probus est sponsam diligit, ut quod habet  
 Nemo suam carnem probris circumuenit, ast is  
 Christus ut ecclesiam, molliter ossa fouet.  
 Ecclesie nunquid caro & ossa & corporis huius  
 Membra triumphales delitiosa sumus?  
 Sponsus ob hoc sponsæ coniunctus utrunq; parentem  
 Linquet, ut æquali sint, duo carne pares.  
 An ne profunda nimis sunt hæc mysteria quid rex  
 Ecclesiam scio foedere Christus amet?  
 Sic sic uxores uestras redamate mariti,  
 Vxor & insignem pulchra timecat herum,  
 Capite VI. docet Apostolus parentum  
 ac filiorum mutuam conseruationem, et  
 redit ad instruendum Ephesios de omni-  
 bus uirtutibus in generali.

**O** Dulces nati charos adamate parentes  
 Hoc domini Sabaoth lex metuenda iubet,  
 Quò bene sit natis patres reuerenter haberent,  
 Si cupiat longos uita uidere dies.

Prolipare



Proliparæ natos nunquam reuocetis ad iras,  
 At bene correctos nutriat æquus amor.  
 Carnales dominos celeres portate ministri,  
 Pareat hisq; proba simplicitate fides.  
 Non quod sint homines ducibus placeatis, ad ipsum.  
 Ex animo Christi perficiatis opus.  
 Non ut mortales serui reuerenter auitos,  
 Solius est Domini cui referatur honor,  
 Vnusquisq; suos tandem quos pinxerit actus  
 Accipiet, quales sint ratione uiri.  
 Hinc uos ô domini uultus auferte minaces,  
 Vos idem Dominus, Rex, pater unus habet.  
 Constantes animos fiducia tollat in altum,  
 Ac uelut intrepidus cura suprema leuet.  
 Arma quibus fratres quatiatur barbarus hostis  
 Cingite, quò resfluant (sumite tela) doli  
 Aduersus carnem non laxat prælia sanguis  
 Fœda tenebrosos, sed uibrat ira duces.  
 Quin age belligeros sternas mea gloria coctus,  
 Ne malus infestet facta suprema pudor,  
 Saccincti lumbos pompales tollite fastus,  
 Lacteolosq; trahat pax generosa pedes.  
 Hinc fidei scutum, galeam & captate salutis,  
 Pneumatis & gladium quæ sacra uerba sonant



Mens proba pro sanctis, pro me sincera rogabit,

Vt frugi calido pectore sermo fluat.

Has mihi dant partes, supremæ dogmata legis

Ne taceam iuuat hæc labra secunda loqui.

ARGVMENTVM IN EPISTOLA M  
ad Philippenses.

Philippenses sunt Macedones. Hi accepto uerbo ueritatis perstiterunt in fide, nec receperunt falsos Apostolos, hos collaudat Apostolus scribens eis à Roma de carcere per Epaphroditum.

Capite 1. Apostolus agit gratias de bonis Philippensibus collatis, quibus significans suum statum, ponit distinctiones prædicantium & erga eos suam charitatem, quos monet ad tolerantiam persecutionis.



Aulus & unigenæ Timotheus  
buccina Christi,

Blanda Philippenses charta  
salutat auos.

Omnibus in Christo de gentibus  
atq; ministris

Gratias

## AD PHILIPPENSES.

413

Gratia, cœlesti quæ pluit orta polo,  
 Blandiloquens cunctas oratio fertur in horas,  
 Quo fluat in rutilum gloria uestra decus.  
 Autumo, perficiet quod cœperit aurea uirtus,  
 Vosq; triumphales ultima secla ferent,  
 Hoc mihi de uobis iustum est sentire, sodales  
 Conspicuos tenero uincula corde ligant.  
 Testor, idem cupio, quales uos esse, tonantem.  
 Ut pote diuinos æquiparare sinus.  
 Comprecor ista bonus quò gratior aura secundet,  
 Fundat & omniscium uena suprema sophos  
 Unde fluant charites, sic uel potiora probetis,  
 Iusticie fructus secla futura ferant.  
 Euge Deo laudes, Christo fastosa superbit  
 Gloria, concordēs sunt mihi plectra modi.  
 Scitis ò fratres quàm uestrum maximus ardet  
 Ignis, ad heroës audeo uerba loqui.  
 Audent & post me quidam sacra iura profari,  
 Nec piger offendit pectora casta metus.  
 Inuidiam pingunt, alios contentio ridet,  
 Hos euangelici pertrahit oris amor.  
 Turbida discordes immiscēt bella tyranni,  
 Quò grauis extorreat sauciet ira uerum,  
 Quid super his, & in hoc gaudens gaudebo minarum  
Turbinis

Turbine dum Christi clarificetur apex,  
 Nil dubito uenient ad claræ signa salutis  
 Complebunt uestræ tum mea uota preces.  
 Spes mihi perpresens, agit hæc fiducia mentem,  
 Aut uiuam, aut moriar pectore Christus erit,  
 Omnipotens donat securum uiuere Christus,  
 Sic mihi pro lucro præstat ubiq; mori.  
 Quod si carnales cupiam distendere metas,  
 Officiperda nocet si mihi fructus inest.  
 Ignoro quid agam, uelut anceps cura duobus  
 Ardeor, & in Christo uult meus esse labor.  
 Maxima propter uos incendit causa ministrum,  
 Ne me fatalem tam cito captet humus.  
 Idq; scio fidens quod me data signa manebunt,  
 Vsq; graues habeat uos probitatis apex,  
 Gratulor unigenæ quo surgunt gaudia Christo,  
 Dum precor asseclas ante uidere meos,  
 Vos euangelicus producat in æthera sermo,  
 Concordesq; trahant cantica dextra choros.  
 Dum uos clara sacræ fidei uexilla morentur,  
 Strennua barbaricus ne liget ossa pavor.  
 Vnde salus uobis, illis est causa ruina,  
 Cœlica tam cultas gratia donat opes.  
 Id quoq; donatum pro Christo credite, purus

Neu solum credat, sed patiatur amor,  
 Vos certamen idem quod durus persero miles,  
 Tollite, uictorem dextera signa beant.

Capite II. instruit Apostolus Philip-  
 penses de fidei unitate, uera humilitate,  
 omnimoda sanctitate, & ad ulterius in-  
 struendum mittit nuncios.

**S**i qua boni pietas, si qua est clementia cordis,  
 Exhilarent mœstos gaudia blanda sinus.

Quo sapiatis idem charites interna resoluant,

Viscera consutos tendite in arma pedes

Non belli clamor, non gloria iactet inanis,

Compar honos, eadem gratia, pectus idem.

Non ea quæ proprios spectant queratis ad usus,

Sed quæ in uicina sunt aliena domo.

Hunc sentite uiri quem Christus imagine fructura

Gessit, in exemplum florea cedat humus.

Ille licet diuos merito spirasset honores

Regis ad æqualem respuit ire thronum.

Ille scopum serui capiens ut plasma remissum,

Factus homo qualem forma uirilis habet.

Vsq; Deo patri flagrantem ductus ad aras

Paruit, ut simplex utq; benignus amor,

Hinc Deus æthereos illius nomen ad axes

Extulit



Extulit, ut magnus rex super alta foret,  
 Cœlica, terrestres, barathralis & antra ruinae  
 Poplitibus flexis consiteantur herum.  
 Lingua panomphæum regem fâteare necesse est,  
 Christus apud superos sceptrâ redemptor habet  
 Eia age perspicui mea dulcis cura sodales,  
 Nobilis unde fluat cernite queso salus,  
 Dat Deus inceptos ualeatis ferre labores,  
 Utq; dabit sanctum perficiatis opus.  
 Este uiri fortes, blasphemia nulla palato  
 Hæreat, & nullum palpitet ira caput.  
 Concordes animi pectus referantur ad unum,  
 Vincite tartareos plebs sine labe duces.  
 Inter quos rutila fulgetis lampade, uirtus  
 Aurea luciferas tollat in orbe faces.  
 Verba coruscantis uite mea gloria Christo  
 Fertis, & obscurus non gerit arma labor.  
 Si super obsequium fidei sum uictima uestræ,  
 Gaudeo de uobis omnibus esse sacrum.  
 Vos, fidem pro me sinebres ducite pompas,  
 Pangat & hymnisonum cautio diua melos,  
 Spero quidem dixi, nostras Timothee Philippos  
 Ibis, non potuit uir meliora loqui.  
 Nempe mihi nullus pro tempore charior extat,

Hunc ita sincerus sollicitauit amor.  
 Omnes quæ sua sunt, non uulgi commoda querunt.  
 Non ea quæ Christi iura ferenda rogant.  
 Expertum comitem fidei prudentia fecit  
 Longa, uelut patri prompta propago subest.  
 Hunc igitur spero me mittere protinus ad uos,  
 Mox ubi mecum sciuerō finis inest.  
 Ad uos extemplo ueniam confido, necessum  
 Autumo præcurrat Epaphroditus iter.  
 Is meus adiutor, quid uester apostolus, idem  
 Frater, & imperij dogmâ minister habet.  
 Omnes optabat moribundus athleta uidere.  
 Infirmum quærululus sollicitabat amor,  
 Mæstus ob id lachrymis pectus lacerabat amarum,  
 Nota quod ipsius mortis imago foret,  
 Mentiar & nusquam si mortis ad ostia uectum  
 Dixero, fatales huncq; tulisse minas  
 Auxilium superis de montibus autor olympi,  
 Intulit ambobus gratia rara fuit.  
 Ocyus is uestros festinat tendere fines,  
 Quo mens abscedat gaudia sintq; dolor.  
 Hermete dulci precor hunc uos carpere uento  
 Comiter humanas distribuatis opes.  
 Propter opus Christi, uestrum quoq; propter amorem

*Funebres quatiunt obsequiosa metus.*

Capite III. ostendit Apostolus euacuationem legalium uerbo & exemplo sui, ac deinde se excusat atq; Philippen-  
ses ad se imitandum inuitat.

**I**Nde rogo fratres Domino gaudere, necessum  
Consulo scribatis quod sacer ambit amor.

Oro uidete canes scelerum spectate magistros,

Heu quàm concisis dos recutita nocet ?

Non ea legales sortimur iura ministri,

Seruimus Domino, pectora Christus habet.

Carnea doctricane spernunt uestigia mentes,

Vitales animo pars generosa fouet.

Si quis opus carnis collaudet, tantus in illa

Effror Israël me generauit hymen.

Heber in Hebræos, me lex pharisæa probauit,

Doctor & immenso lampas in orbe sui.

Hinc mihi quæ fuerint ignoro commoda, Christi

Detrimenta sacras autumo propter opes.

Detrimenta sagax minus æstimo stercora quàm sint,

Vt lucro teneam quod sapit alta sophos.

Non ego iusticiam, quæ manat origine legis

Expeto, sed fœlix quod mihi præstet amor.

Has sophiæ partes, quò cœli numina sciscam,

Aucupor

Aucupor, unigenæ signa reposco Dei.  
 Cuius acerba crucis sub corpore stygmata gesto,  
 Viuificam socius posco uidere domum.  
 Audio quid iubeant supremi iura senatus,  
 Ut sciscam uigilo quis mihi ductor inest.  
 Haud ea iam didici quæ non maiora requirant,  
 Disco uelut sciolum rem meminisse iuuet,  
 Prosequor an pretium? certat pro munere miles,  
 Quæ sint me Christo præmia rege uocant.  
 At si quis tentet quod nesciat, inde minister  
 Succedet locuples cordis ad ima Deus,  
 Hoc sapiamus idem quod uidimus, inter utrunq;  
 Quod mens complexa est fixa quiescat opus.  
 Quare post nostros fratres discurrete gressus,  
 Deprecor inflexum diffugiatis iter.  
 Attollunt multi fastus (stans dico) superbos.  
 Heu heu Christiferæ gens inimica crucis,  
 Interitus quorum finis, quibus omnia uenter,  
 Qui terram sapiunt, pinguis uentris amant.  
 Qui terram sapiunt, his sunt dispendia terræ,  
 Erigitur supera nostra sub arce domus.  
 Hinc seruatorem uigiles cunctamur Iesum,  
 Ut sacer instauret quod ruit autor opus.  
 Dives in extremis ut lux radiosa diebus.



Non aberit, uirtus omnia ferre potest.

Capite III. firmat patientiam Philippi  
pensum Apostolus eos ad spiritalem læ  
titiam hortando ac bonorum perseuerē  
tiam, atq; gratulatur de eorum liberalita  
te, eorumq; ponitur salutatio.

**O** mihi purpureos inter mea gaudia Ciues,  
O mihi turritæ niua columna domus.

Estis uiri fortes, ut ego mea cura, rogantur

Synthice & Euchodias uiuere mente pares.

Te germana sub hæc exoro iuuare sorores,

Cum Clemente suas his tribuere manus.

Innumeros comites æquis splendoribus addant,

Quos immortalis gestat in ære liber?

Gaudete in Domino, rursum gaudete fideles

Frontis delicias uitæ modestia probet.

Omnibus humanis isthæc prudentia uitæ

Nota sit, en uestras stat Deus ante fores

Vos non cura premat, non uos res ulla coartet

Flexamine properent regis ad astra preces.

Ardor item pacis sensum qui fertur in omnem,

Sub duce uerbigena pectora uestra regat.

Dilecti posthac quæcunq; pudica probetis,

Inculpata sacer compleat ora lepos.

Si qua boni species, si qua est uirtutis imago,  
 Quod mihi inesse sat est, hoc subeatis onus.  
 Vobiscum Dominus, si rem tractetis ut ipse,  
 Prouidus hic spero pacis & autor erit.  
 Gaius coelo uehementer, amore ligatum  
 Vix ego continui pectus, amata ligant?  
 Sic, & amata ligant, uiridis restoruit arbor,  
 Munificas iterum uos referatis opes.  
 Ista loquar uobis, me non poenuria census  
 Cogit, ego didici quis satis esse queam  
 Ex pelagi fundo dites haurire lapillos,  
 Tum data fortunæ dona referre scio,  
 Omnibus omnia sum, satiat mensura uolentem,  
 Qui mea soletur pectora Christus adest.  
 Nota rei series uestri peruenit ad aures,  
 Quis mea nouistis pectora torsit agon.  
 Non scio præter uos Gentes uidisse superbas  
 Auxiliatrices contribuisse manus.  
 Bis semel atq; scio quum rerum posceret index  
 Vsus in nostros Thessala uenit humus.  
 Non data dimetior, sed fructus premia posco,  
 Centupla uobis pro ratione dari.  
 Acceptus habes (placere & dona tonanti)  
 Quis tulerit nostras Epaphroditus opes.

Quicquid apud superos pia mens desyderat ipsum

Cœlica pro uotis gratia donet, Amen.

Immortalis honos, æterna potentia Christo

Cui laus per seclī tempora iugis, Amen.

Christigenas, omneis isthæc mea scripta saluent

Vos ita uult reduces Cæsaris alta domus.

Aurea spiritui uestro famuletur ( ut oro )

Gratias cœlestes pars bona præstet, Amen.

ARGUMENTVM IN EPISTOLAM  
ad Collossenses.

Collossenses non sunt Rhodij ut quidam existimant, sed Asiani sicut & Laodicenses. Præuenti fuerunt à pseudoapostolis, nec ad hos accessit Paulus, sed & hos per epistolam corrigit. Audierant enim Dei uerbum ab Archippo, qui & ministerium in eos accepit: Ergo Apostolus iam legatus scribit eis ab Epheso per Tychicum diaconum & Onesimum Acolutum.

Capite I. captata beneuolentiâ Apostolus Collossensium Euangelij auctoritatem inducit, illi firmiter esse credendum.



Aulus & uigena Timotheus  
cura Colosis

Fratribus in Christo mille sa-  
lutis opes.

Grates altithrono grates exluo  
tonanti

Quod mihi tam sancta dissero Gente fidem  
Nos charis abiicitur, quæ sanctos alligat omnes,  
Propter spem rutilat quæ radiosa polis.

Fulua quidem uirtus uestrum iam uenit in orbem  
Rara Collossensem gemma coronat humum.

Florida legiferos distendunt pallia fructus,  
Surgit & in multum uestra minerua sophos.

Hæc ego percepi, sensere charismata uerum,

Istud ab Epaphra uos didicistis opus.

Epaphras noster conseruus, athleta supremi

Regis, amat quantum uir probitatis habet.

Ex quo moratos, audiuius esse sodales,

Non sacra cessarunt iura tenere manus.

Orantes uolumus diuinas pneumatis artes,

Nobile & illustri sanguine corpus agi.

Vsq; arcana meos penetrant oracula sensus.

Quo supero placeant uota benigna duci

Nectareos animi produnt mysteria uersus,



Longanimes stabili robore tollit honor,  
 Delitiosa tenent humanos gaudia ciues,  
 Lactea nuncq; potens uenit ad ora Deus,  
 Frangitur immanis laqueus, baratriq; potestas,  
 In cœlum uectos fors habet una duces.  
 Christicolas exhinc cunctos moderator olympi  
 Transtulit in regnum, patris imago sumus  
 Cuius imago? Dei facturas uendicat omnes,  
 Aeterni faciem qui genitoris habet.  
 Siue potestates, thronus, aut dominatio, princeps  
 Maximus omnibus his prædominatur apex.  
 Cuncta creata duo lucent autore, per ipsum,  
 Ex ipso, quum sit præuius orta uigent.  
 Is caput Ecclesæ, primos qui uenit ad usus,  
 Complacitum est plenas solus haberet opes.  
 Qui cœli facies, quid humus sinuosa suberrat,  
 Omnia sublimi sunt stabilita polo.  
 Materies artis roseo compacta cruore  
 Flagrat, & in rutilum gratia surgit opus.  
 At modo uos sensus fallax turbabat, & hostis,  
 Ceu foret à forti gens aliena dea.  
 Res inimica Deo sub Christo principe robur  
 Extulit, amissus conciliatur amor.  
 Fundati stabiles fidei monstrate coronas,

Nesciat inualidos semita recta pedes.  
 Irreprehensibilem pars integra figite cursum,  
 Tollite præceptum quod didicistis opus.  
 Huius factus ego sum Paulus athleta minister  
 Gaudeo pro uobis crebra flagella pati.  
 Dulcia sunt, Christi quæ in pectore uerbera porto  
 Ecclesæ similes durus inuro notas.  
 Sic ego poenalis sustento Colossica seruus  
 Pondera, quæ uetuli non habuere patres.  
 Barbaricas isthæc decuit mysteria gentes  
 Ferre, quid est Christus, spem paradisus habet  
 Ingenuas cauimus sophiæ mortalibus artes,  
 Quò bene moratum progredientur iter.  
 Quo duce bella gero, pariter sua signa cohortes  
 Extollant, uirtus me studiosa docet.  
 Capite II. docet Apostolus præcauere  
 deceptiones per falsam prophetiam, per  
 legis autoritatem, per sanctitatis simu-  
 lationem.

**A**T uos scire uelim qualis me cura perurit,  
 Maxima nempe uirum me sacer ambit amor  
 Nunc quicumq; meos nusquam uidere labores,  
 Instructi sapiant qui charis alma sonet.  
 Quid pater, unigenæ quid agant mysteria Christi

Arcanae quid habent & grauitatis opes.  
 Illic thesauri sophiae, prudentia rerum  
 Optima, lex dominos uix habet ista pares.  
 Is mihi sermo subest, ne blanda modestia linguæ  
 Fallat, & elatum iactet ad ima pedem.  
 Sim licet à uobis longinquo sine remotus  
 Nil fidei uestræ cominus antra lego.  
 Sub fidei freno quid strauerit hospes Iesus  
 Pergite, soluentes quod didicistis opus.  
 Cernite ne quis uos per iniqua sophismata ducat,  
 Quæ trahit humanus sub nigra centra lepos,  
 Quæ Christi sapiunt elementa probetis, ab illo  
 Omnipotens deitas ius dominantis habet  
 Ex illo nitidos cutis hæc baptismatis imbres,  
 Cepit, ab ipsius mens stabilitur ope.  
 Fœdarent quum nos carnis præputia, soluit  
 Quod super emisso pignore pondus erat.  
 Probra crucis patiens ueluti charissimus obfes,  
 Quæ non debebat subditus æra tulit.  
 Quod non seruetis solennia sabbata, nullus  
 Indicet, ad festos non datur esca dies.  
 Nemo sub angelico falsæ prohibitatis amictu  
 Inducat miseros Ditis ad antra greges.  
 Nequiter inflati carnales tollite morsus,

Ad proprium ueniant membra remissa caput  
 Si fera cum Christo subiistis funera, quid uos  
 Tentat adhuc mundus uiuere? pacta nocent?

Doctrinas hominum molli ratione minaces

Linquite, uos uestit religiosa fides.

Mendaces iurant, scelus est si fercula sumis

Ista, uel hoc uitis germine uina bibas.

O fera religio tantos legalia fastus

Baubatis? glabros pascitur herba sues?

Capite III. informat Apostolus de mo-  
 ribus, de uitiorum depolitione ac uirtu-  
 tum acquisitione, maxime ad coniuga-  
 tos, parentes & filios, atq; seruos uer-  
 bum faciens.

**S**i cum uerbigena soluistis funera Christo,

Querite sydereas turba redempta domos,

Sedibus his uester sedet his formosus amator,

Non quæ sunt terræ, querite summa uiri.

Mortua uitales in Christo prenditis auras,

Quando uir exurget gloria Christus erit.

Expurgate scelus ueteres migrate coloni,

Desine limiferam tangere uenter humum.

Luxuriam carnis, pollutos uertite mores,

Pondera distinctum pectus auara neget.



Sic idololatrias, propter quos uenit ab alto  
 Christus, & infaustos uentilat ira greges.  
 Hæc per centra mali gressus fixere superbos,  
 Criminis horrendi dum foret aspera domus.  
 Pectore mordaces idcirco pellite curas,  
 Nulla mali labes cordis ab ore fluat.  
 Infidos comites uultus auferte dolosos,  
 Exuat informes dos generosa metus.  
 Depestant ueteres emollida corpora nexus,  
 Illustrem faciat forma puella uirum.  
 Forma serenatos diua sub imagine uultus  
 Induit aspectum (qui renouatur) habet.  
 O noua progenies fatalis homuntio Christum  
 Vestit ubi non est gentis origo salus.  
 Quid Scytha, Gentilis, quid seruus, liber, appella  
 Omnibus omnipotens omnia Christus habet.  
 Dilecti comites charæ pietatis imago,  
 Compingant humiles corda benigna modos.  
 Dulci cordolio tristes portate querelas,  
 Quas dederit uobis cernite Christus opes.  
 Omnia uincit amor, charis aurea fœdera pacis  
 Adligat, egregium prodit & illa decus.  
 O utinam charos habeant uos æqua sodales  
 Munera, fraternas sollicitate uices.

In uobis habitet Christi celeberrima uirtus,

Hæc sophiæ partes uota precantis ament.

Hymnificos uersus puris in cordibus odas,

Et cantate Deo spirituale melos.

Scilicet insignem memorent si corda triumphum.

Gesta deo soli comiter ferant.

Vsq; maritali sit subdita fœmina sponso,

In Dominoq; uirum (sicut oportet,) amet.

Humani proceres uxores comite uestras,

Lingua suæ carni cesset amara loqui

O dulces nati uestros adamate parentes,

Hoc Domini placitum quos timebatis habet.

Bile tumescentes nolite ad iurgia natos

Pellere, succensis turba pusilla subest.

Carnales Dominos uenerentur ad omnia serui,

Sustineant pura simplicitate duces.

Quid manus effundat prompto famuletur honore

Mercedis memores florida palma facit.

Sic hereditetæ Christo seruite tonanti,

Impenso gratas qui dat amore uices.

Quod seruis æquum est Domini præstate, scientes

Quod Dominis superis sedibus alter inest.

Capite IIII. orationibus Colossensium

se commendat Apostolus, ostendens

quomodo

quomodo se ad infideles habere debeant, & ponitur epistolæ conclusio & confirmatio per salutationem.

**O** Rantes uigili suspendite lumina cælo,  
Mille trahat charites officiosus honor.  
Ut possint (clemens oratio ad astra feratur)

Sermonis latices ora diserta loqui.

Mystica uerba loqui sic Christi nomina possim

Farier, ut castum mystica uerba decent.

Ne foris infâustos teneant gentilia ritus,

Ardeat umbrosas uestra lucerna domos.

Blandula sermonem compingat gratia uestrum

Respondere sciat cuiq; pudicus amor.

Temporis admissos prudens facundia soles

Reddat, & inuentum calleat aura sophos,

Quantas res patiar, Tychicus, Onesimus ambo

Perdoceant, quantus sit mihi uester amor.

Vos & Aristarchus, uos Marcus & ille salutans

Qui socias istis contribuere manus.

Ad uos si ueniat Barnabbas, sumite uatent,

Hasq; autore probo suscipiatis opes

Anxius Epaphras stabiles uos esse precatur,

Pro uobis castas fundit in alta preces.

Testis enim fiam pro uobis ipse laborem

Insumpsit uarium, Laodicæa probat,  
 Id quoq; Hierapolis, iam sacro nomine ciues  
 Christicolæ stabili religione sapit.  
 Vos medicus Lucas charissimus, atq; salutat  
 Demas, qui nostræ munera partis habent.  
 Opto salutetis quia sunt conuenta sodales,  
 Nymphæ, quosue probat Laodicæa domus.  
 In uestros oculos quum dulcis Epistola cursum  
 Fecerit, ad plebis rostra legatur opus.  
 Præsulis omnisonas Archippo dicite partes  
 Compleat, hæc Pauli litera scripta manu est.  
 Vinculorum socij memores estote meorum,  
 Aurea sit uobis gratia Christus. Amen.

## ARGUMENTVM IN EPISTO-

lam ad Thessalonicenses.

**T**hessalonicenses sunt Macedones qui accepto uerbo  
 ueritatis persliterunt in fide etiam in persecutione  
 ciuium suorum. Præterea nec receperunt falsos Apo-  
 stolos, nec ea quæ à falsis Apostolis dicebantur. Hoc  
 collaudat Apostolus scribens eis ab Athenis per Tychi-  
 cum diaconum et Onesimum Acolutum.

Capite I. Apostolus agit gratias de  
 Thessalonicensium bona inchoatione,  
 atq; huius bonitatis diffusionem.

Paulus





Aulus, Syluanus, Timotheus &  
more iugales.

Thessalicas uisunt per sacra  
uerba domos

A patre cœlesti, Christoq; proba  
ta tonante

Gratia, pax uobis plena decore salus.

Morigeras superis pro uestro nomine grates

Fundimus, æthereum pneuma resoluit amor.

Sic uestri memores operis fideiq; sacratæ

Cernimus ascendat quantus in astra lepos.

Aurea diuinas oratio fertur ad aures,

Iactat in excelsum spes animosa fidem.

Scimus enim fratres, electum scitis amorem,

Vultibus optatis gratia rara subest,

Excipit hoc uerbum nostri pars æmula sensus.

Turbatam phrenesim spiritus impar habet.

Vestra lares cunctos uiuendi norma serenat,

Floret honorato uestra sub orbe fides.

Talis enim uobis accreuit gloria famæ.

Non maiora sub hæc lingua notare potest.

Mira ferunt patriæ de uobis cantica gentes,

Quàm fuerit noster maximus adstat honor.

A simulachrorum muta feritate reducti

Vos immortalem scitis amare Deum.  
 Scitis & unigenam, qui funeris atteret iras  
 Cœperat empyreis quando sedere thronis.  
 Capite II. consolatur Apostolus Theſſalonicenſes in aduerſis per conformitatem ad ipſum atq; ad eccleſiam Hieroſolymitarum.

**V**ultis ab ore fluat quotquot ſim paſſus agones &  
 Ingenua uacuuſ non fuit arte labor.  
 Dum partes agerem, mihi proba tulere Philippi,  
 Hæc loquerer uobis anxia cura fuit.  
 Errores miſeros ſpurcos minus ingerit actus,  
 Fallaces nec habet noſtra camœna dolos.  
 Ut ſonus à magno pars chara tonante probati  
 Sic loquimur, nec homo ? ſed beat ora Deus.  
 Blandidulis ueſtras ego nil ſermonibus aures  
 Oppleui, Deus eſt teſtis auara ſpuo.  
 Non ego uentofos hominum diſquiro labores,  
 Non ut Apoſtolicus pignora miles aro.  
 In ueſtrum medio facti ſumus ore puſilli,  
 Diffuſas renuit uita mo-deſta uices.  
 Ut charos mater fouet in ſua uiſcera foetus,  
 Sic ueſtrum cupide mens petit æqua bonum.  
 Non euangelicas tantundem uendere merces,

Sed nostras animas tradere iussit amor,  
 Estis ob id memores quum uobis sacra notarem,  
 Quis mihi nam fuerit nocte dieq; labor.  
 Vos impensius amor (Deus est mihi testis, & ipse  
 Vos testes facio) regis ad astra refert.  
 Vnumquemq; bonus ueluti solatur, & orat.  
 Ad patris aeterni glisco uenire lares.  
 Hinc grates agimus, quod dum nos diua uocarent  
 Verba, Dei fulgens esse putastis opus.  
 Estis enim nostri per longa pericla sequaces,  
 Succensum parilem non labor impar habet,  
 Iacluram patrios (ut ego) dignoscitis hostes  
 Ferre, quid est? prohibent gentibus equa loqui.  
 O fera progenies, nunquid Iudaea prophetas  
 Macclauit? Christum pars crucifixit atrox?  
 Nil magnum si nos fatalia flagra, sequantur,  
 Dum sua peccatis uota probrosa replent,  
 Horum mens (nigra dos) barathri descendit ad iras,  
 Notitiam culpæ non habuere truces.  
 A uobis fratres semoti tempore longo,  
 Optamus uestras usq; uidere domos.  
 Et semel ac iterum ueitros ego uisere fines  
 Tentauit, satanas distulit ille gradum.  
 O ubi spes? ubi laus? ubi dulceta gaudia mentis?  
Gloria

Gloria, Christigenæ gaudia nostra patres.

Capite III. Apostolus mittit Timotheū ad consolandū Theſſal. ponitur utilitas reuerſionis eiufdem cum Apoſtoli deprecatione pro Theſſalonicenſibus.

**P**ropter quid ſtabiles ſolis remoramur Athenis, Munera quæ tribuat uir Timotheus habet.

Aſſectam doctum qui uos confirmet in omnes Fortune uentos mittimus, æqua iuuant.

Fortuna uentos mittimus, æqua iuuant.

Verbera (quum ueſtris eſſemus finibus) hæc uos

Prædicebamus, uel grauiora pati.

Ob quod nil poſſum tantum ſufferre labores,

Quin ueſtras charites nunciuſ ille probet.

Blandidicus pauco forſan uos leſerit hoſtiſ,

Et ruat in quaſſum ſudor inanis opus.

Accreſcunt animi creſcant mea gaudia, noſter

Quando fidem gerulus mandat in eſſe boniſ,

Giſco uidere meoſ, pariter me turba uidere

Optat, in adfectum ſic geminatur amor.

Si quid amor faciat noſtriſ ſolamen amoris

Eſtiſ, & in Domino uiuimur arte pareſ.

Quæ Domino chariteſ? non poſſumus in clyta laudiſ

Munera (quæ mihi dant gaudia plena) loqui

Ante Dei faciẽm ueſtroſ appendere uultuſ



Comprimit ora ites nocte dieq; labor.  
 Si qua si les titubet, fidei uel caumata desint,  
 Optamus laceras consolidare bases.  
 Ipse pater rerum nobis rex donet Iesus,  
 Thessalicas iterum Christus adire domos.  
 Multiplicet populum, charites accrescere puras  
 Conferat omnipotens ad mea uota Deus.  
 Feruida sub stabili uersetur gratia corde,  
 Inferat & laudis premia Christus. Amen.

Capite IIII. apostolus increpat Thessalonicenses de uitio fornicationis, cupiditatis, ociositatis & immoderati luctus mortuorum.

**E**Xhinc uos fratres postica lege rogamus,  
 Quam dederim uobis non temerare fidem.  
 Scitis enim sophie tulerim quo pneumate partes,  
 Per Christum domini sanctificatur opus.  
 Hic est uester honos, hæc est diuina uoluntas,  
 Ne sacer in uobis luxurietur amor.  
 Barbaricæ tractant isthæc carnalia gentes,  
 Ignorant toto quis sit in orbe pater.  
 Haud super alternos incursum uota ferantur,  
 Improba non turpes fulminet ira dolos.  
 Vindex nam Dominus, qui nos ad munda uocauit,

Has qui despectat (negligit astra) uices,  
 Non hominem spernit, sed proditor ille tonante  
 Culpat, inhumanum qui putat esse patrem.  
 Quid fraternus amor faciat non scribo necessum,  
 Iam satis hoc felix uos didicistis opus.  
 Ingenuas charites Macedo mihi charus obiuit,  
 Hoc foris exemplar frater amicus habet.  
 Nolumus ignotos per tristia somnia fratres  
 Esse, uelut spei qui ratione uacant.  
 Credimus ut mortis descendit Christus ad umbras  
 Sic qui dormitant ducet in alta Deus.  
 Vultus item Domini uerbum mera lingua loquatur:  
 Praeueniemus eos quos prior egit humus.  
 Ipse quidem Dominus caelo descendet ab alto,  
 Tunc sibi terribiles uox dabit una tubas.  
 Ad uocis iussum quos angelus ore sonabit,  
 Primi cum Christo qui moriuntur erunt.  
 Qui dehinc turba sumus, qui uitæ carpimus auræ,  
 Cuibus his uigiles mox rapiemur humi.  
 Sic semper Dominus nobiscum, dulcis ab ipso  
 Aethere pars nobis obuia Christus erit.  
 Hec igitur suberunt moestæ solatia mentis  
 Ne desperetis caelicus inquit amor.  
 Capite v. Apostolus cautos reddit

Theſſalonicenſes de die mortis futura, ac de die iudicij generalis, et inducit Theſſalonicenſes ut bene ſe habeant ad proximum & ad Deum.

**T**empora uel caſus quæ ſint momenta futuri  
Non opus Hebræi tali poemã legant.

Nocturno ſimilis ueniet lux ultima ſuri,

Dicere poſtremum mene nequit, orba dicim.

Quum ſecura quies, ubi pax tranquilla, repente

Ingruet interitus, tum preme oſſa dolor.

Quos uix effugient geminabunt uiſcera planctus,

Qualis in effœta parturiente labor.

Tartarã non fratres adeo tenebroſa uoluent,

Quo nimis horrendus uos grauet ille dies

En lucis radians ſpecies, uos ſolis imago,

Non rutilas frontes triftis opacat humus

Iam non captemus ſegnes ut cœtera ſopnos,

Sobrius at uigi' et cordis ad ora pudor.

Qui claudent oculos, captant ſua ſomnia noctis,

Atq; uoluptatis poſula nocte bibunt.

Num qui purpureos præclaræ lucis honores

Induimus? certe ſobria turba ſumus,

Loricam fidei ( ceu concors gratia ſcutum

Gēſtamus bona ſpes ſigna ſalutis habet.

## AD THESSALONIC. I.

439

Non uos terribiles Deus ipse uocauit ad iras,

Eminet à Christo rege parata salus,

Vt clemens genitor pro nostro funera morsu

Pertulit alterutrum sic reueletis enus

Noueritis fratres sanum qui dona ministrent,

Quosq; exaltet amor nobile propter opus.

Solari miseros, uolumus punire nocentes,

Quò leuet infirmum pars generosa pedem.

Non mala pro toruis reddantur toxica rebus,

Quod bene firmetur, candida dextra ferat.

Semper amore probi gaudete, orate fideles,

Hoc Christi crescat præsens in orbem salus,

Pneumatis audaces nolite extinguere flammæ,

Atq; prophetali quicquid ab ore sonat.

Quod bene, quod male fit, uos omnia gesta probantes

Discite quid proba mens debeat inde sequi.

Ipsè deus pacis uos reddat spiritus aptos,

Ad contemplandas religionis opes.

Qui uos pacificos iam misit ad æthera ciues,

Is Deus est simplex atq; fidelis amor.

Pro nobis magnum fratres orate tonantem,

Et fidei comites oscula pace notent.

Vos sacer adiuro, mea detur epistola cunctis

Fratribus in Christo gratia Christus, Amen.

E 4

ARGV.



## ARGVMENTVM IN EPISTOLAM

ad Thessalonicenses II.

**A**D Thessalonicenses secundam scribit Epistolam Apostolus, & notum facit eis de temporibus no- uissimis, & de aduersarij deiectioe. Scribit hanc Epi- stolam ab Athenis per Titum diaconum & Onesim- um Acoluthum.

Capite I. gratias agit Apostolus de bona Thessalonicensium cōuersatione, orans pro meliori consummatione.



**P**AVLVS, Sylvanus, Timotheus  
amore sodales  
Thessalicas uisunt per sacra uer-  
ba domos.  
A patre cœlesti, Christoq; proba-  
ta tonante

Gratia, pax uobis, plena decore salus.

Debemus cœlo magnas impendere grates,  
Crescat honor fidei, quod sacer instet amor.  
Vnde supercreuit per multas gloria gentes,  
Vos tristes gladij, uos neq; uata premunt.  
Iudicis examen constantia corda moratur,  
Aula panomphaeos regis habere duces  
Si iustum ratio ducat punire nocentes,

Premia

Premia si iustis adferat æqua Deus.

Quas luet infelix pro toruo crimine pœnas ?

Protrahet æternas ignea flamma domos.

Illo quippe die nos iudicis ante tribunal

Stabimus ut uestrum testificemur opus.

Exhinc pro uobis oramus ad æthera dextras

Tendimus, ut uester clarificetur honor.

Impleat idq; fides quod habet diuina uoluntas,

Quò uirtute potens sanctificetur opus

Capite II. remouet errorem Aposto-  
lus de aduentu Antichristi, de quo subin-  
de ostendit ueritatem.

**E**T Vos hic fratres per Christi iussa rogamus  
Ne cito pœnales tempora mœsta ferant.

Terrores quæruolos, ne falsa poëmata sermo

Ingerat, ut timidis instet amara dies

Non uos is Satanas seducat, homuntio, lethi

Filius, in sancta qui sedet hydra domo.

Non est ut iactat deitatis uena sub illo,

Iam licet auricomum tollat in astra caput.

Dum uestris agerem pro finibus, ista notauit,

Cur modo non pariat uipera triste malum.

Aut quæ cristatum circumdabit ala draconem

Scitis, & in quali mors erit apta die.

Horridus ille draco iam iam mysteria torus  
 (Ut canis obscœnus) perditionis habet.  
 Qui tenet hoc teneat, donec fatalis ad aras  
 Venerit, extremum claudat & ille diem.  
 Impius umbrosas tunc quum penetrabit abyssos,  
 Obruet à Christi saucius ense draco.  
 Destruet illustris species & imago figuræ,  
 Quod ferit ars ueutum prodigiosa scelus.  
 Mendaces pereant signis fallacibus, instat  
 Hora, boni sacras destituere domos.  
 Inde suberrantes capient mendacia sensus,  
 Qui sibi ueraces non tenuere uias.  
 Pro uobis fratres Domino damus ora tonanti,  
 Gratia, quod elegit uos patris ales amor.  
 Primitias fidei uos regis habetis honores,  
 Ista est Christigena gloria parta manu.  
 State uiri fortes, quos scripsit epistola uersus,  
 Hac rogo captetis pro ratione uices.  
 Ille pater, Dominus, rex, noster, Christus Iesus  
 Confirmet solidas religionis opes.  
 Qui uos dilexit donabit amore salutem,  
 Dum iuuat æternum spes bona munus habet,  
 Capite inquit petit Apostolus à Thessalco  
 nicensibus orationem suffragij, atq; in-  
 format

format eos in regeneratione mali, atq;  
incitat ad manuum laborem.

**P**ro nobis Dominum fratres exinde rogetis,

Quò sacra mellifluus currat in ora lepos.

Ne nobis pseudo noceant conuitia linguae,

Optamus sophiæ clarificetur apex.

At fidei sanctas non omnia pectora leges

Perueniunt, Domini gratias firmat opus.

Confirmabit opus, stabiles tutabitur hoste,

Qui uidet omniregens corda tenella Deus

Hinc uobis fratres ipsi confidimus ultro

Que uolumus, facitis quod parat implet amor.

Dirigat illustris bonitas, patientia Christi

Quos bene cœpistis non temerare gradus.

Hortamur, charos ne fallant pseudomagistri,

Aut ferat imprudens gens malesuada sophos

Declamant alios quàm sint mea dogmata uersus

Scitis quæ nostra sint operata fide.

Nostis felicem per quæ uestigia cursum

Impressi, nulli dextra molesta fuit.

Inter uos gratis molles captauimus escas ?

Curarum domitrix absq; labore quies?

Ne uos insensos socialia uncla grauarent.

His fuit in manibus nocte dieq; labor.

At uelut imperio nostra hæc prætura careret,

Per uigil



Per uigil exemplum sollicitudo tulit.  
 Edidimus sophiæ partes, non munere frugis  
 Gaudeat, omnificæ quem fugit arte labor.  
 Inter uos aliquot segnes producere curas  
 Nouimus imprudens hoc sibi uulgus habet.  
 Qui tales fuerint ut Christi membra rogamus,  
 Ut proprium comedant, non aliena uiri.  
 Vos autem rectos socij perpendite calles  
 Optetis certum quod bene fiat opus.  
 Si quis ab his monitis longe discesserit, hostem  
 Ut confundatur iure notate uirum.  
 Barbarus ille tamen nusquam feriat ut hostis,  
 Corrigit excultus crimina fratris amor.  
 Ille Deus pacis det uobis mille per annos,  
 Per sacra felices secula pace frui.  
 Signa manus Pauli chartas ita scribo per omnes  
 Hæc sunt hæc propria scripta fuere manu.  
 Omnibus in uobis diuini gratia sensus  
 Insit, apud superos uita coronet, Amen.

DIVI PAULI GENTIVM ET ECCLESIÆ  
 Christi doctoris ad Timotheum episcopum  
 stolæ primæ Argumentum.

**T**imotheum instruit & docet ordinationem Episcopu-  
 patus & Diaconi, & omnis ecclesiasticæ discipline

ne, scribens à Laodicia per Tichycum diaconum.

Capitel. Timotheum cōmonet Apostolus, ut non attendat genealogijs ac legalibus obseruationibus, ac gratias aget Deo pro uocatione ad Apostolatū, atq; inducit Timotheum ad resistendum doctoribus falsitatis.



OC dat epistolio Paulus Timotheæ salutem

Imperio Christi seruus athleta fide.

Gratia, pax & honor tibi sint, tibi donet Iesus,

Cœlestisq; pater dexteritate frui.

Cumq; domos Ephesi præclarus doctor haberes,

Me sanum Macedo dixit habere sophos.

Non ego te docui quales tua tibia uersus

Promeret, & quantum falsa pœsis obest?

Iussa Dei tractant cor purum, gratia, concors

Mentis amor, probitas, relligiosa fides.

A quibus errantes cesserunt pseudoprophetæ

Virtutis stabilem nec habuere modum.

Consolidata ruunt, quodq; loquuntur obest.

Si quis amore probo legem complexus, ab illa

Protinus illustri lege solutus erit

Lex non est iusto, castigat torua nocentes,  
 Punit & infaustas que nocuere manus.  
 Quis putat impuros scelerum disperdere noxas?  
 Censoremq; truces non super ire choros?  
 Concubitor, iurans, mendax homicida cruentus  
 Tandem iusticie tela seuera sciunt.  
 Qui sanctas uiolant famoso crimine leges,  
 Aut qui detractant quod Deus ipse potest.  
 Gratus oro, Christum semper laudabo tonantem,  
 Cuius amore frui dat mihi celsus honor.  
 Qui blasphemus, eram, qui sacrum dogma sequebar  
 Coelicus innocuo nunc mihi parcit apex  
 Infortunatum superauit gratia crimen,  
 Hoc mihi perpresens fluxit amore salus.  
 Sermo fidelis, in hunc descendit legis orbem  
 Christus, ad egrotos prae sto me dela greges.  
 Ad peccatores ( quorum dux primus ) amator  
 Venit, aberrantes duxit ad equa uiros.  
 Chara Dei bonitas in me solidata resedit,  
 Has uenie partes primus athleta gero.  
 Dogmata uenturis sperantibus addo, pusillis  
 Cordibus aeternae credo salutis opes.  
 Sydereo regi, non cui mortalis origo,  
 Visibilis facies, doxa perennis honor

Perge, prophetales comple Timothæe palestras

Mens proba, sit tibi dux relligiosa fides.

Corripuit Satanas fidei quos naufraga puppis

Blasphemare scijt, dum periere mali.

Capite 11. instruit Apostolus Timotheum de actu orandi & modo, deinde loquitur de oratione quo ad populum subiectum.

**O**bscuro tranquilla (quo uite munus agatis)

Candida supplicuas fundere corda preces

Pro magnis ductibus, pro cunctis gentibus oret

Mens proba, communes sic uocet aura choros,

Munera uerbigenæ suberunt accepta tonanti,

Si parti ueniant ad sacra templa greges.

Inter utrunq; fuit princeps mediator Iesus,

Christus, homo semet qui bonitate tulit.

Huius ego uates & Apostolus omnia testor.

Pneumate temporibus uisa fuere suis.

Testis adest promptus, uerax non mentior hermes,

Gentiles doceo relligiosa sequi.

Omnibus ergo locis uolo uos orare tonantem,

In cœlum niueas usq; leuare manus.

Sic uerecundus amor, sic se muliebris honestas

Ornet, ut insignes laus habet æqua merus.



Crines contorti, non splendida uestis, & aurum,  
 Dant mihi sacrificum religionis opus.  
 Subdita sic mulier, discat, teneatq; silentes  
 Quos uates retinent in sua labra modos,  
 Ut doceat mulier ( non id probo ) blefa maritumis  
 Illa supra molli ne dominetur hero.

Primus Adam plastes fuit, Aeuā sequuta parentem,

Non seductus Adam, falsa sed Aeuā ruit.  
 Semine natorum saluabitur illa, fideles

Si teneant nati cum probitate fidem.

Capite III. docetur Timotheus ordinā  
 re gradus ecclesie, tam quoad episcopos  
 quam ad diaconos & uxores eorū, & po  
 nitur ratio prædictorum.

**S**ermo fidelis adest, qui præsulis ambit honorem,  
 Ille opus egregium tentat honore sequi.  
 Irreprehensibilem sed oportet episcopon, huncq;

Vnius uxoris congruit esse uirum,

Moribus ornatum laus est præcellere uatem,

Præsulis orchestram uerba pudica decent.

Non percussorem, non uini ad pocula mersum.

Aut cupidum damnet litigiosa domus,

Sic domui præsit natos regat ille sagaces.

Fulgeat in rutilum uita modesta iubar,

Si domui propriae forsā quis nescit adesse,  
 Ecclesiae pastor non bonus esse potest.  
 Ne ruat in laqueos non ille neophytus adsit,  
 At bene compositus quae uideantur agat.  
 Multa sacerdotem tollit reuerentia sacrum,  
 Corrigat infrenes si probat uita dolos.  
 Si parcat uino, si nedum lucra sequetur  
 Turpia, si teneat mens bene compta fidem.  
 Hos probat ipse deus, si nullum crimen habentes  
 Quod superest tractant religionis opus.  
 Sic proba sponsa suo det iura pudica marito,  
 Nec uaga detrahet quod scit honesta scelus.  
 Sobria constantem faciant praecordia sexum,  
 Rebus & in cunctis praesit honora fides.  
 Vnius uxoris prudentes sacro ministros  
 Vult ratio, domibus sintque toreuma suis.  
 Qui tulerint duros operosa mente labores.  
 Insignem facient hi super astra locum.  
 Spe constabit amor, si Christo fidat iesu  
 Laus & honor superis, hic animosa fides.  
 Hec scribenda cito ueniens Timothee putauit.  
 Si tardaro, scias, quod tibi restet opus.  
 Maximus in clero sit oportet in aede tonantis  
 Qui fulcimentum coeperit esse domus.

Excellens bonitas, felix pietatis & index  
 Vim sacramenti rex manifestus habet  
 Pneumate iustus inest, hunc uidit & angelus, orbis  
 Credidit assumpsit gloria, fulsit apex.  
 Capite IIII. excludit Apostolus mo-  
 dum dicendi erroneum ac ponit uerum  
 docendi modum.

**S**piritus eloquitur, suberunt heu tempora, quando  
 Hypocrisim blandam demonis ora dabunt  
 A recto fidei quidam discedere cultu  
 Cernentur, uolucres atq; subire dolos.  
 Mutua culpabunt falsi commertia mystæ,  
 Quis deus ut iunxit destituantur opes.  
 Adde cibos faciles quos ille fidelibus auris  
 Mandere pro uoto, lex quoq; sancta iubet.  
 Quod sator instruxit, quo iure repellitur? ullo.  
 Ima uolente deo sanctificatur humus,  
 Fratibus hæc suadens preco, Christi q; minister  
 Imbutus fidei dogmate pastor eris.  
 Fabellas (superest Timothee) cauebis aniles,  
 Te sic commendes in probitatis opus.  
 Utiles est modicum mera corporis actio, semper  
 Iusticie partes lex pietatis habet.  
 Sermo fidelis. In hoc maledicimur unde salutis

AD THIMOTHEVM I.

452

Humanæ capimus premia, & autor adest.

Hæc doceas oro, iuueniles nemo paratus

Spernat, in exemplum sunt charisma, fides.

Rarus in eloquio facias quæ sancta loquaris

Mollia decurrat castus in ora pudor,

Ad tua dum uenio delubra, quod instat agendum

Exhortare, doce, munera sumpta geras.

Despicias nolim quem sacra prophetia sensum,

Intonuitq; sonum quem sacer ore deus.

Hæc meditare, sub his animos extende uiriles,

Doctor ut in cunctos sis quoq; notus apex.

Hoc etenim faciens te saluum in secula reddes,

Quiue tuis dociles uocibus arma ferent.

Capite v. instruit Apostolus Timotheum de senioribus iuuenibus & uidiuis, docens quæ ueræ uiduæ sint, ac loquitur de prouisione ministrorum ecclesiæ, docens de actis iudicandi & puniendi subditos.

**Q**uin age matura si quos ætate parentes

Excipias, proceres hos reuerenter habe,

Vt fratrem iuuenes, ut notum sume sodalem,

Sit tibi mater anus, sitq; puella soror.

Quæ ueræ sistunt, uiduas, reuerenter honora,



Non uacat à sexu forma pudica suo.  
 Si qua quidem natos habeat, charumq; nepotem,  
 Edoceat qualis debeat esse domi.  
 Ille uelim sciscat quod præstet fama decorum,  
 Et quas antiquis soluat imago uices.  
 Quæ uerò uidua est obsecrans speret in altum,  
 Nocte, dieq; humiles tendat in astra manus.  
 Quæ tibi delicias uiuens uelut orba ministrat,  
 Mortua dissectum gestat in orbe caput.  
 Has hortare uices, ne prauus corrigan index,  
 Aut male profusum fœmina ploret onus.  
 Si quis eo ueniat, cui cura domestica non sit,  
 Ille mihi sanctum fas negat atq; fidem,  
 Sexaginta minus uidua hæc non efferat annos,  
 Duntaxat fueritq; unius orba uiri.  
 Illa mihi testes correctum ducat in unguem  
 Monstret & infantes ad sacra fana manus.  
 Si pauit natos, inopes si in lecta recepit.  
 Si tepido sanctos lauerit amne pedes.  
 Si tristes animo, si mœstas corde sorores  
 Viserit, auripotens sitq; sequuta bonum,  
 Deuita uiduas iuuenili flore uirentes,  
 Peccat in hoc sexu delitiosa cutis.  
 Quum molles fuerint, in Christo nubere gliscunt,  
 Non p[er]

Non pudet has primam commaculare fidem.  
 Ocia dum captant, quæ ius uetat ore loquuntur,  
 Perq; uagas ruptum fas uidet ire domos.  
 Suadeo si iuuenes socialia uincla subire,  
 Prolis & autrices dent sua tecta nurus  
 Turpis & infelix pereat contagio linguæ,  
 Ne mala fœmineum cautio ludat opus.  
 Post Satanam multæ retro cecidere sorores,  
 Sexus aberrauit, quem tulit ante pudor.  
 Si quis habet uiduas, illis sua pura ministret,  
 Ne malus inculpet diua sacella pudor.  
 At bene qui præsunt, geminos dignantur honores  
 Tum satis egregios uita modesta probat.  
 Scilicet agricolæ sapiens bonis ora ligabit?  
 Num labor insumptus premia dignus habet?  
 Ni duo presbyteri uel tres delicta notarint,  
 Accusatoris nulla bipennis erit.  
 Argue peccantes, palam correctio uinctos  
 Mordeat, ut capiant cætera turba metum.  
 Alterius nunquam corrumpes stamina partis.  
 Hec puto grata deus munera testis habet.  
 Non scelus imprudens castigas, usq; malignos  
 Deuita, castum te decet esse ducem.  
 Vt stomachi morbos & cordis pondera tollas,

Fontibus abiectis uiua modesta bibes.

Hæc peccata uolunt examen (et illa sequuntur)

Iudicis, hæc bona sunt tecta, tegiq; negant.

Capite VI. inducit Apostolus episcopos ad custodiam pauperum in seruitio dominorum, ac demum inducit ad sectandam humilitatem, pietatem & cæteras uirtutes.

**Q**ui iuga seruorum gestant, ne diua potestas  
Ledatur, grauius non dominantur heris.

Heroes dominos (quia sint pro lege sodales)

Non aspernantur, sed probus adsit amor.

Hæc hortare docens dominis parere clientes,

Non aliud captent iussa tenere sophos.

Quis ab æthereo seponit corda tonante,

Declinat, nec habet gero superbus iter.

Languidus in pugnâs uerborum corrui, unde

Blasphemias acuunt impia bella faces.

Corruptos faciunt, hos gestant uiscera mores,

Virtutem uitium pectora cæca putant.

Aufugit hinc pietas dum res non sufficit, impar

Dum sua plus æquo brachia robur agat.

Quum nihil attulerint, non mirum si nihil inde

Auferre hoc ualeant ponderis orbe manus.

Vestimen

Vestimenta quibus moribunda tegantur habere

Membra, sat est uitæ possideamus opes,

Qui captant dītes isthīc numerare lapillos.

Demonis in laqueos præcipitanter eunt,

Fulmen auaritiæ noxas se iactat in omneis,

Creber & infāustus sauciat exta dolor

O homo uirq; dei fuge tales oro procellas,

Mansuetus charites ius pietatis ama.

Certamen fidei certes, apprehende quod instat

Aeternum, sapias quid sacra iussa uelint.

Cedat in exemplum tua uir confessio, figat

Irreprehensibiles uita serena gradus.

Hæc tibi præcipio serues mandata quousq;

Labilis extremum clausurit umbra diem.

Rex regum omnipotens Deus immortalis habebit

Secula, ubi æternum uendicat aura iubar.

Cui laus, imperium, cui uirtus, summa potestas,

Quod teneat solum nemo uidere potest.

Diuitibus iubeas sublimes tollere fastus,

Turgida ne in fluxus corda ferantur opes.

In unum semper studeas sperare tonantem,

Qui uult immensa nos probitate serui.

Nos dītes fieri, nos rex uult esse ministros

Pacis, opus rectum corda tenella sequi



*Fundamenta micans sibi poscat aceruet olympus*

*Vendicet ut superas uita beata domos.*

*Hæc Thimothee uelim ac iubeo data pignora serues,*

*Sermones uita quos nouus orbis habet.*

*Permultos fallax homines ut credo sefellit*

*Gratia, sydereum perdidit aura iubar.*

*Pax tibi de superis, dos cœlica gratia tecum,*

*Te sacra felicem uita coronet, Amen.*

ARGUMENTVM EPISTOLAE

*secundæ ad Timotheum.*

*Scribit item Timotheo de exhortatione martirij & omni regula ueritatis, & quid futurum sit temporibus nouissimis & de sua tortura, scribens ei ab urbe Roma.*

*Capite I. inducit Apostolus Timotheum ad constanter prædicandum euangelium Christi, ex pontificali dignitate ac prædicantium raritate.*



*Aulus Apostolici non infima cura senatus,*

*Impendit charites quas Timothee legis.*

*Has pietatis opes sub Christo donat Iesu*

*Principe dilectum te comes unus habet.*

*Gratiani*

Gratanti domino laudes ago pectore, quod sis  
 Assidue nostra prece sub aure sacer.  
 Cerno tuas lachrymas, animum quoq; gratulor, ex quo  
 Diceris athletes firmus habere fidem.  
 Lois eo primum nituit uestita decore,  
 Munus idem Eunice nunc tua mater habet.  
 Quas ob res capiti præfulsit gratia sacro,  
 Complecti satagas quæ datur æthere salus.  
 Non deus omnipotens adflavit pncuma timoris,  
 At nobis chariten uis animosa tulit.  
 Nil uereare precor diuinum munus habere,  
 Quod uie ligent nostros ferrea uincla pedes.  
 Pignus Apostolicum sic serues, usq; potentem  
 Esse scias (soluet qui mala nostra) Deum.  
 Id non ex nostris opibus captatur id ipsum  
 Ante orbis faciem gratia finxit opus.  
 Hæc manifesta tulit nobis seruator Iesus,  
 Quo cecidit nostræ torua catasta necis.  
 Clara salus uitæ tenebrosum illuminat orbem,  
 Incorrupta recens tendit in astra quies.  
 Doctor eo factus gentes hoc iure magistro,  
 Ob quam rem patior, sed mihi cura leuis.  
 Cui scio crediderim, certus sum, chara probabit  
 Fœdera, sycereus me benedicit amor.

Forma sacri uerbi quam me doctore notasti  
 Grata sit, à Christo principe disce fidem.  
 Depositum serues, quod spiritus ætheris adflat,  
 Quod uè graui nostrum munere pectus agit.  
 Scis equidem qui sunt Asiani terga dedisse,  
 Hermogenes, Phygelus signa cruenta gerunt.  
 Præstet Onesiphori domibus suprema salutem.  
 Gratia solertem protegat illa uirum.  
 Ille mihi concors, humanus & absuit urbe  
 Quæsiit, inuentum sub meliora tulit.  
 Adsit huic pietas dum mortis cesserit horror,  
 Tu sanè nosti quàm mihi charus inest.

Capite II. sollicitat Apostolus Timotheum ad exequendum prædicationis officium, ac monet ipsum iuuenilia desideria fugere.

**C**Hare quid unigena celebris det gratia Christo  
 Accipe, nunc fortem te decet esse uirum.  
 Esto memor rerum quas multo teste probasti,  
 Quæ doceas alios certus athleta notes.  
 Nemo dei miles mundana negotia curat,  
 Ut summo placeat, quem uidet ipse patri,  
 Quis nisi legitime certarit agone corona  
 Gestat? agri cultor gramina primus habet.

AD THIMOTHEVM II.

459

Si bene quæ dico tibi sanè consulis, & res  
 Infideant animo, sacra fluenta bibes.  
 Esto memor regem Dauidis semine natum,  
 A mortis laqueo deposuisse pedem.  
 Hæc mea quæ certo sententia, ad usq; laborans  
 Vincula, nil uanum mens mea pensat opus  
 Non est (crede mihi) diuini splendida uerbi  
 Cum ferrugineo charta ligata pede.  
 Omnia sustineo, Christi uoco ad arma fideles  
 Quos habet heroas missus ab æthre liber.  
 Sermo fidelis adest, si forsan mortis ad umbras  
 Pellimur ad superas uita leuatur opes.  
 Verbera si patimur, domibus regnabimus altis,  
 Alta negauerimus, nosq; negabit apex.  
 Cura, fidelis amor blandi solertia cultus  
 Permanet, & seipsum nil temerare potest.  
 Verba serens coram domino tua dicta loquaris,  
 Si bene quid profers testis olympus habet.  
 Hortor inutilibus noli contendere uerbis,  
 Destruit occultum friuola lingua sophos.  
 Sollicite cures tua uota parare tonanti,  
 Inconfusibilem te probat artis opus.  
 Despice uaniloquos, uoces suspende prophanas,  
 Ad domini cultum garrula uerba nocent.

Nam



Nam ueluti serpens abrodit corpora cancer,  
 Sic ferus euertit corda benigna rubor,  
 Iura Philete silent uolas Hymenæe pudorem,  
 Aethereas ambo dilaceratis opes.  
 Fundamenta sacræ fidei mortalibus insunt,  
 Sint quibus agnouit corda serena Deus.  
 Non ferus insignes ueniet peccator ad aras,  
 Verberat inuisum uirga suprema gregem.  
 Incelsis domibus non solum splendida lucent  
 Vasa, sed ornatum dædala sternit humus,  
 Dedecore ex istis, ex illis gloria surgit.  
 Nullius hæc pretij, dant ea signa decus.  
 Si quis imaginibus sese mundauerit istis  
 Egregium Domino sanctificabit opus.  
 Finge probos actus, iuueniles pellito curas,  
 Supremum puro pectore numen habe.  
 Deuira stolidas cæcis ambagibus artes,  
 Cimmerium generant friuola uerba chaos.  
 Seruus item domini, sit homo mansuetus ad omnes,  
 Præcipites damnet qui rapuere uias,  
 Ne mala significant uires peccasse superbas,  
 Pœniteat laqueis conseruisse pedem.  
 Capite III. hortatur Apostolus Timotheum ad prædicandū, propter pseu-  
 dode-

dodeclamatorum multiplicationem futuram, & iam inchoatam, ac ponitur Timothei monitio de firmitate.

**P**rotinus instabunt uesane tempora cladis,

Turbato suberit nulla sub orbe fides.

Exibunt homines prolata mente superbi,

Blasphemi, patribus non data iussa ferent.

Ingrati turpes aliena pericla notabunt,

Duri ac instabiles, tum sine pace uiri,

Plus illis superit petulans & amœna uoluptas,

Quàm loca coeli tenens qui regit alta deus.

Virtutis formas, illis probitatis imago,

Pectora mentitus, sed simulabit apex.

Hos Timothee uolo scelerum uitare ministros,

Ne sacer offēdat signa uerenda pudor.

Ex his captiuas aliqui (quod cernis) amantes

A spurcis laribus ne sine morte trahunt.

Continuo discunt, sed non uenit ardor in usum,

Nec subit argutum causa superba sophos.

Vt Mambres Mosen, pariter contempsit Iannes,

Sic uerum reprobant subdola uerba salem.

Quid tum proficient? ultra non proderit expertus

Iusticiæ fructus, nec simulata fides.

Quam tibi mandauit sophiam Timothee sequutus

Cordibus

Cordibus infixum dogma benignus habes.  
 Dum tristes iacto casus fatisq; ruinas,  
 Est tibi fors eadem, pars es ab igne pari.  
 Antiochæna licet memorem, uel qualia Lystris  
 Verbera, & Iconij quanta flagella tuli.  
 His me cunctipotens, his omnibus eruit autor  
 Casibus, illa tonans fâta secundat apex.  
 Qui satis usq; super Christo duce uiuere gliscunt,  
 Grandes torturas, scuta, probrosa ferent.  
 Ah seductores fortis super alta ferentur,  
 In poenisq; ruent post sua fâta mali.  
 At bene compositos super his tu dirige gressus,  
 Nil fortunatum quo mouearis habes.  
 Dogmata diua puer iuuenili flore notasti,  
 Est tibi sub Christo principe nacta salus.  
 Vtilis est sophiæ doctrina instructa superno  
 Flamine, te pungunt sensa, probata docent.  
 Sic age perfectos flabit mortalis honores,  
 Quàm proba tam foelix norma uidebit opus,  
 Capite IIII. prædicit Apostolus multa  
 denunciationem malorum auditorũ, cum  
 Timothei ad se flagitat et amicos salutat  
**O** Immortalem mihi uerò testor Iesum,

Arguet in tempus, qui uere probabit humum,  
 Declama uerbum, pro tempore feruidus in spes,  
 Obscra, doceas quod sacer autor agis.  
 Tempus erit sub quo uirtus neglecta iacebit.  
 Parturiet miserum falsa minerua sophos,  
 Comia fallaces abscondent dicta magistros,  
 In cautum rapiant ora lupina gregem.  
 In sua gentiles miscbunt dogmata lusus  
 Linquentes sapidum quod deus adflat opus.  
 Tu uero uigiles in cœli culmen ocellos  
 Flecte, tuus semper surgat in astra labor.  
 Solue quod instat opus, Antistes sobrius esto,  
 Nunc ego delibor, cana senecta subest.  
 Consummata uenerunt tempora cursus  
 Bellica certauit robora, sermo fidem.  
 Stat mihi sub reliquo uirtutis amore triumphus,  
 Que merui, iudex soluet athleta Deus.  
 Non me tantundem, sed multos ille moratur,  
 Ad sacra qui sperant iura uenire Deum.  
 Meliquit Demas, ad me properato uenire,  
 Qui me deliquit Thessala nutrix humus.  
 Ad Galathas crescens, Christus hoc discessit ab orbe  
 Lucas est nostra solus in æde comes.  
 Nil quem deducas uerearis sumere Marcum,



Utiles estq; mihi quod famuletur opem,  
 Est Ephesi Tychicus, mea Troade penula mansit;  
 Si redeas Carpum det mea scripta roges.  
 Dirus Alexander grandes mihi pertulit iras;  
 Rex dominus referat premia digna malis,  
 Hunc rogo deuities, mihi pessimus obstitit ille,  
 Moribus utq; solent fata nocere probis.  
 Quum peteret duros defensio prima sodales,  
 Nulla mihi spreto dextera praesto fuit.  
 Quod me liquerunt non imputet autor olympi;  
 Adstitit usq; sacro dexter amore tonans.  
 Ille mihi praesens, ut per me diua serantur  
 Dogmata, quae uulgo parturit almus ager.  
 Me pater omnipotens absoluit ab ore draconis,  
 Neq; suae ciuem tradidit esse domus.  
 Cui laus, perpes honos, cui gloria, & integra uirtus;  
 Aeternum in supera sede tribunal, Amen.  
 Priscille, cures Aquilae & donare salutem,  
 Sanus Onesiphori conciliare domum.  
 Aegrotus Trophimus Mileti mansit, Erastum  
 Usq; mihi reducem clara Chorintus habet.  
 Ante hyemem cures uenias, te Claudia sanum  
 Quod fratres optant, Ebulas atq; Pudens.  
 Linus idemq; orat, tecum sic frater Iesus,

Gratia uos omneis sancta coronet, Amen.

IN EPISTOLAM AD TITVM

Argumentum.

**T**itum commonescit & instruit de constitutione presbyterij & de spiritali conuersatione & hereticis uitandis, qui traditionibus iudaicis credunt, scribens eis à Nicopoli.

Capite 1. Titū instruit Apostolus quales debeat Episcopos ordinare, & quomodo mali sunt increpandi.



A Vlvs athleta Dei, tuba Christi clara tonantis,

Quò micat electæ partis honora fides

Relligio ueri specimen, spes uitæ perennis

Qui non mentitur spirat in ora Deus.

Secula quàm fierent promissum fecerat istud,

Quod supera uerbum mitteret arce pater,

Mius uates ipsius lectio uerbi,

Induperatoris iussâ suprema fero.

O Tite dilectos inter mihi chare sodales.

In Christo tibi pax, grata & amore salus.

Hac re Cretensi te doctor in orbe reliqui,

G

Que

Quae desint subigas, constituasq; patres.  
 Presbyteros (ut ego scelerum sine labe parauit)  
 Moribus egregios in tua templa uoces,  
 Vnius uxoris sic sint (habeantq; fideles  
 Conspicua genitos relligione) uiri.  
 Criminis expertem sed oportet & Episcopon esse,  
 Dispensare sacras qui bene possit opes.  
 Non irascibilem, non fracta mente superbum,  
 Non percussorem, qui mera uina sputat.  
 Non turpis lucri cupidum, sed sobrius, hospes,  
 Sic sacer & prudens, & inuiolatus apex.  
 Amplexetur eum, qui lustret pectora sermo,  
 Corrigan & fatuum pars radiosa sophos.  
 Ex his uaniloqui, plures sint pseudoprophetae  
 Inficiunt cunctas Thessala philtro domos.  
 Ad Solymos ritus ueniunt, tractantq; magistri  
 Quod scelus & lucri gratia turpis habet.  
 Ex illis preco quidam, ueriq; prophetae,  
 Chretes mendaces, trux fera, uentre pigri.  
 Si uerum perhibent, si dent sacra dogmata testes,  
 Argue carniuoros improba lingua canes.  
 Legibus humanis plus hi uersantur, & ipsis  
 Ritibus Hebraeis quam sacra iura serant.  
 Omnia munda probis, nihil est quod mundet ineptos  
 Impuros

Impuros agitans quæq; proterua sues.  
 Hi Sothera Deum uerbis se nosse fatentur,  
 Ab dictis fassum turpiter acta negent.

Capite II. apostolus Titum instruit ad  
 informandum seu componendū existen-  
 tes in statu senili, iuuenili, ac seruili.

**T**ITV uelut argutus moneas orator, & instes  
 Quod sanum liceat dogma tenere sophos,  
 Floribus omnigenis morum grandæua senectus  
 Clareat, & cano sana sit ore fides.

Tum grauis incessu pateat matrona, senilem  
 Ostentent habitum mens, proba, forma, decor.

Non sint taxantes quæ uulgo dicta seruntur,  
 Non uini bibulas pars bona tollit anus.

Doctrices iuuenum studeant compingere uultus,  
 Quò suauem redamet candida nupta uirum.

Qua mites ualeant pariter dulcedine natos,  
 Comiter atq; suæ iura fouere domus.

Quouè queant medio grauibus parère maritis,  
 Blasphemant Domini ne male dicta fidem.

Impurum iuuenem cultus hortare decoros  
 Vestiât, & firmum sobrietatis opus.

Esto lucerna micans, exemplar, norma pudoris,  
 Moribus auripotens integritate grauis.



Fare quod usq; probi ualeant, laudare Catones,

Hostiles nequeant quod reprobare manus.

Tum seruos humiles doceas parère magistris

Omnibus & gratam subdita ferre manum.

Non sacra fraudantes dominis data foedera, nostri

Sotheros paueant quos subiere metus

Gratia uerbigenæ nostrum descendi in axem,

Aurea cœlesti fluxit ab orbe salus.

Hortantur ueteres humani soluere culpas,

Tum mala quæ fallax gaudia mundus habet.

Aduentum Domini Christi quoq; sceptrâ uidentes

Speremus sanctas conciliaisse domos.

Ille pater populi, Deus & rex, atq; redemptor,

Semet pro nobis & sua regna tulit.

Mundus ut immundum populum purgaret amator,

Se dedit utq; bonum prosequeremur opus.

Hæc loquere exhortans, hæc tetricus argue uates,

Austeram spernat nulla sinistra manum.

Capite III. declarat Apostolus quomodo populus se habere debeat erga principes cum ratione dicti, atq; erga hereticos, & annectit salutationem.

**S**ubdita magnates moneas uenerentur auitos,  
Colla potentatus non sub per ire duces.

Disce

Disce ministrales dicto parere magistris,  
 Vsq; probum iubeas confiteantur opus.  
 Non blasphemantes regum uult aula ministros  
 Vultibus iratis ora benigna placent.  
 Olim gens fuimus uelut horrida, plena malorum,  
 Inspiciens uulgus, religione uagi.  
 Tristis aberrantes nos quondam cura sefellit,  
 Barbara & inuidas corda tulere truces.  
 Ecce benignus amor, simplex clementia Christi,  
 En uenit aetherea dulcis ab arce salus.  
 Non ex iusticia merito quod fecimus ipsi,  
 At bonitate Dei sanctificatur amor.  
 Instauratur humus renouata potentia carnis  
 Surgit, & influxum dant alimenta decus,  
 Iam sacer humanos impleuit spiritus axes,  
 Ex saluatoris iustificamur ope.  
 Nunc sumus heredes, dum nos data gratia seruet  
 Aeternam stabilit spes animosa domum.  
 Qui Domino credunt, hos alio clara serenet  
 Hoc curent homines utile dogma sequi  
 Hebraeas geneses, quod stulte dogma rogatur  
 Deuita, & quod iners dat tibi pugna sophos  
 Barbara peccantum Tite mi commertia dannes,  
 Suasio quod refluat prima, secunda potest.

Si perdat miserum sua culpa, quis æquius infert  
 Iudicium? proprio num miser ense perit?  
 Nicopolim uenias, Tychicus dum uenerit ad te,  
 Aut mens Arthemias, hic hyemare uolo.  
 Legiferum Zenam mittas, accedat Apollo,  
 Quò nihil his desit, cauma necesse dabis  
 Sic nostri studeant fructus tractare salubres,  
 Neu uanis opibus tempora fusa uacent.  
 Omnes qui nostra uersantur in æde, salutant  
 Te pariter qui nos (sic reuereris) amant.  
 Gratia cœlipotens cum uobis omnibus insit,  
 Rex Deus æternos figat in astra duces, Amen.

ARGUMENTVM IN EPISTOLA M  
 ad Philemonem.

**P**hilemoni familiares literas facit pro Onesimo ser-  
 uo eius, scribens ei ab urbe Roma de carcere per  
 supra scriptum Onesimum.

Capite I. Apostolus scribit Philemoni  
 formans petitionem de recipiendo One-  
 simo, & adiungit saluta-  
 tionem.

Paulo



AVLE Dei uates Philemoni  
trade salutem.

Hoc inquit flamen quod Ti-  
motheus ago.

Per breuis Archippo donetur  
charta sodali

Hos legat et uersus Appia chara meos.

Gratia, pax uobis, qualem mihi donat Iesus,

Oro serenatis cordibus insit amor.

Soluo des grates, mihi rex applaudit olympus,

Quando tui memores perfero ad astra sonos.

Audio quem fidei teneant tua uiscera morsum,

In sacra templa feras quod pietatis opes.

Cognita sunt operis clarissima gesta, probatq;

Inter Christi genas uita serena fidem.

Est mihi solamen, complent mera gaudia sensum,

Quod probitate tui sancta quiescat humus.

Hortatur pietas, instigat & emula uirtus,

A me dicaris religionis apex.

Obsecro quum mihi sis tam charus Paulus ut alter,

Terogo ne uinctus quod mihi posco neges.

Quemq; ego sub uinctis genui uolo suscipe natum

Quae nauici fuerint utilis hospes habet.

Huncq; domi socium uoluissem sepe tenere,



Ni tuus affeclam me rapuisset amor.  
 Nil sine consilio uolui tentare quod usquam  
 Ingrata præsens solueret arte bonum.  
 Fortassis foelix ad te concessit ad horam  
 Aeternam tecum proffer habebit humum.  
 Iam non ut seruum pro seruo suscipe fratrem,  
 Si tibi gratus inest, dulcior ille mihi,  
 Ergo tibi socium si tu me noueris, illa  
 Sicut habes comitem pro ratione uirum.  
 Si tibi quid nocuit uel debet Onesimus ipse,  
 Parce pio uati, cautio damna luam.  
 Subdola forte uerum ne fallant scripta legentem,  
 Litera Paulinam subnotat ista manum.  
 Quod mihi te debes, ut uir non imputo demens,  
 Te licet in Christi frater amore fruar.  
 Viscera delitijs Philemon felicibus imple,  
 Nostra sinas superos fata uidere lares.  
 Ausus itemq; satis confidens tantula scripsi,  
 Et scio nec fallar, quæ tibi mando feres.  
 Spero quidem uestris donari partibus, usq;  
 Hospitium nobis donet amantis honor.  
 Marcus, Aristarchus, te preco salutat Epaphras  
 Demas, cum Luca, te beat omnis humus.  
 Aurea uerbigenæ te saluet gratia Christi,

*Te sua cunctipotens ducat in astra Deus.*

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

*Argumentum.*

**H**Ac in epistola morem suam Paulus minime serua-  
uit nominis sui uocabulum uel ordinis dignita-  
tem, omittens ea de causa, ut qui ex circumcisione credi-  
derant, quasi gentium Apostolus, & non Hebræorum  
quorum superbiam sciret suam humilitatem demonstra-  
ret. Quod & Ioannes pari ratione in epistola sua no-  
men suum non prætulit. Hanc ergo epistolam fertur A-  
postolus ad Hebræos conscriptam hebraica lingua mis-  
sisse, cuius sensum & ordinem retinens Lucas euange-  
lista, post excessum apostoli Pauli Græco sermone com-  
posuit.

Capite I. describitur excellentia Chri-  
sti seruatoris, qui dator est nouæ legis,  
quia est patri coëternus & consubstan-  
tialis æqualis in potestate & dignitate,  
& quod in his Christus præfertur  
angelis.



Actea qui celebres adflavit in  
 ora figuras  
 Patribus antiquis olim per san-  
 cta loquutus  
 Dicta prophetarum, nobis hoc  
 tempore natum.

Misit, & heredem terras præfecit in omnes  
 Cunctorumq; ducem, per quem Deus ipsa creauit  
 Secula, qui quum sit lux, forma & imago parentis  
 Numen habens, uerbo uirtutis & omnia portans  
 Expurgansq; nephas, excelso præsidet orbi  
 Maiestate potens, tanto sacratior ipsis  
 Spiritibus, quanto tenuit super æthera nomen  
 Nobilius quondam cui protulit alta potestas  
 Filius esto meus, mea tu sis chara propago?  
 Rursus ero in patrem, suberit mihi natus & ipse?  
 Quum primogenitum Deus introduxit in orbem,  
 Inquit. Adorabunt omnes tua fata ministri,  
 Dixit & Angelicæ pater aureus ista cohorti,  
 Qui facit angelicos animosum pneuma uolatus,  
 Atq; suis ignis flammam iubet ire ministros,  
 Cantat & id nato captent tua secla perennes  
 Seclorum motus, sacra & imperiosa potestas  
 Virga tui regni, te summus inunxit oliuo,

Quod rex iusticiam dilexeris, atq; superbos  
 Oderis, excellens Christus tua fertur in omnes  
 Gratia. principio terram sanctissime plastes  
 Fundasti, teretes tua sunt operamina cæli,  
 Ipsi transibunt, æternus, at ipse manebis.  
 Ut uestimentum grandes ueterascet in annos  
 Fabrica cunctorum, tenuis mutabis amictus  
 More, mouebuntur pariter discussa, nec ipse  
 Deficies, at idem per secula cuncta uigebis,  
 Spiritibus cæli quibus est aliquando loquutus.

Tam sacra uerba? se de statuens hac parte tribunal  
 Donec ego sæuos submittam fortibus hostes  
 Hisce tuis pedibus. Nunquid sunt usq; ministri,  
 Qui nostræ portant insignia clara salutis?

Capite II. ostendit Apostolus noui  
 legi esse obediendum datæ à Christo, &  
 quod non obstet humilitas eius pas-  
 sionis.

**O**bseruare licet quæ nos audiuimus, ipso  
 Tramite neu resfluat quo res inceperit, utq;  
 Si quis ab angelico sermo successerit ore  
 Euadit stat illic, toruum pectusq; sagittat  
 Arcus iusticiæ, compensat & aqua scelestos  
 Libra, modum merces crimen uindicta sequatur.

Quid



Quid faciemus, ubi rapidos contempsimus ignes?  
 Spreuimus è cœli laribus data signa salutis?  
 Aethereumq; ducem, fuerat qui missus ab astris?  
 Quo primæua salus, quo clara redemptio fulsit?  
 Paruimus quidam ex nobis data gratia, & ingens  
 Signorum species rapuerunt pectora, uisis  
 Contestante Deo portentis sacra uoluntas  
 Cessit, & humanos transuexit ad æthera ciues.

Non Deus æthereis dedit hunc magnatibus orbem  
 Non ea telluris subiecit regna futura  
 Sortibus Angelicis, quod testans carmine uates  
 Mirabundus ait: Quid homo est quod uiseris illum?  
 Angelus hunc superat paulisper, honore coronas  
 Hunc tamen, atq; super manuum sacrificata tuarum  
 Ire iubes, pedibus tanquam rex cuncta subegit.  
 Ex tanto quod ei subiecerit omnia, nusquam  
 Laxauit, quod ei fuerat pro numine iunctum.  
 Omnia sunt illi necdum subiecta, uidemus  
 Quiq; minoratur paulum cœlestibus auris.  
 Crudeles fati torturas, funus & ipsum  
 Sustinuit charo mortis uestitus amore.  
 Qui sunt in fato primos gustauit agones,  
 Propter quem mundus, per quem sunt omnia multos  
 Qui natos genuit, quos gloria tollit in altum,

Congruè-

Congruer at fieret patiens, autorq; salutis,  
 Sanctificatur apex, qui cunctos præficit unus,  
 Ille Deus fratres non dedignatur habere.

Quando (meum nomen narrabo fratribus) inquit  
 Ecclesiæ in medio summum laudabo tonantem.

Rursus, ero fidens in eo mera pagina clamat.  
 Prorsus, ego & pueri mihi quos Deus ipse probauit,

Quod sanguis charos fratres caro gesserit una,  
 Ipse Dei proles natis cum fratribus idem

Factus, ut in mortis barathrum sua gesa uibraret,  
 Sic necis imperium, pariter fera colla domaret,

Et traheret uinctos, à dæmonis æde labores.  
 Nusquam cœlestes animos apprehendit, ad ipsum

Semen habens Abrahæ uitæ fuit autor Iesus.

Debit unde suis æquari fratribus ut par

Antistes fieret, miserosq; leuaret ab hoste,

Hostia ut ipse foret populi, quo passus, & ipsi

Auxilium peterent, nec consors dona negaret.

Capite III. ostenditur quod Moy-  
 sen exceſſerit Christus, cui firmiter est o-  
 bediendum.

**V**nde uiri fratres cœlestis imago senatus,

Hunc spectato ducē qui uester apostolus et rex,

Atq; fidelis ei regem qui fecerit illum,

Ceu Moses, Mosiq; domus, præ Mose triumphat,  
 Celsior huius apex, quanto qui fabricat ædem.  
 Dignior est illa, si qua fabricatur ab arte  
 Omnis nempe domus, Deus est qui cuncta creauit  
     Vsq; fidelis erat Moses capsarius ultro  
 Quæ dicenda forent docuit seruare peritos,  
 Christus itemq; domo propria uersatur ut hæres  
 Et sumus ipsa domus, si spes, si gloria sursum  
 Nos uehat, & stabiles nos ultima iura coronent.  
 Idcirco uelut ac diuino numine uates  
 Plenus ait. Si plebs domini sanctissima uocem  
 Audieris, caueas obduret inertia pectus,  
 Mobiles effrenes populus me ciuit ad iras  
 Desertum gradiens, illic mea fata probarunt,  
 Tum sensere patres flagrantia murmura dextræ,  
 Quadraginta sui populo rex proximus annis,  
 Semper ibi clamans, plebs semper inutilis errat,  
 Desciuere uias, ideo iuratus in ira,  
 Prospera tranquille pacis non castra subibunt.  
     Pœniteat posthac neu uos liquisse tonantem,  
 Aurea quando uiget felicitis temporis ætas,  
 Querite iusticias, ubi regnet & inelyta uirtus,  
 Obduret ne uos ueteris fallacia culpæ.  
 Est Deus in nobis agitante calescimus illo,

Si seruare modum scimus, finemq; tenere,  
 Auribus in uestris dum uox, dum buccina Christi  
 Insonet, obdurum ne stringat inertia pectus.  
 Ut pote qui superos ausu tentare superbo  
 Nil metuere uiri, non cunctos ira nec auit,  
 Aegyptus typico uidit quos Mose profectos,  
 A quibus offensus fit quadraginta per annos  
 Rex Deus? his certe, prostrata cadauera quorum  
 Deserto fuerint, requiem quibus ille negauit?  
 Qui soluere fidem ceu pars incredula caelo.

Caput III. ostendit Apostolus nobis  
 imminere sollicitudinem intrandi in cœ-  
 lestem requiem, & concludit festinandū  
 esse ad ipsam propter excellentiam diui-  
 nitatis & humanitatis Christi.

**S**ydereum fratres fereamur abesse soporem,  
 Promissas & opes perdamus forte relicta.

Vox eadem nobis sonuit, sed profuit illis  
 Non admixta fides, auditus sermo, nec ex his

Quæ sciuerunt patres temerato iure proterui.  
 At uenimus in hanc requiem qui uocibus almis

Paruimus, cedent completis fata diebus.  
 Sabbata non alio memorauit carmine uates

Vbera quam ditis supressent iugera terræ

Patribus



Patribus *Esseis*. *Credientem terra popellum*  
*Alter a surrigeret, Deus has prior incola sedes,*  
*Ingressus tanquam ueteranus athleta quieuit.*  
*Eia age mens tantum festinet adire soporem,*  
*Ne quis ad exemplum labatur perfidus expes.*

Sermo Dei uiuus, uehemens & acutior omni  
 Ancipiti gladio, pertingens schisma duorum  
 Flamini ac animæ, compages atq; medullas,  
 Pectoris arcanum, quid mens discernit, habetq;  
 Non est diuino quæ se substantia uultu  
 Abdicet, omnia sunt oculo manifesta tonantis.  
 Ad quem sermo datur nobis ut numen, habentes  
 Pontificem magnum summæ qui præsidet arci.  
 Messiam magnum regem Sothera sciamus.  
 Non est rex alios uultus qui fingere possit,  
 Quam monstrat pietas tentatus ad omnia princeps  
 Humanos reuelat miseratus ubiq; labores.  
 Ante thronum regis spes nos inducat, ut ipsi  
 Inueniamus opem, solamen & arma salutis.

Capite v. declarat Apostolus quid in  
 Pontifice requiratur, ac ea Christo con-  
 uenire insinuans dicēdorum de Christo  
 difficultatem.

Magnus

**M**agnus item pastor si quis diademata sumpsit,  
 Sedulus Antistes fragili pro plebe uocatus,  
 Sacra deo mittit, succendit & ignibus aras,  
 Quo uir aberrantes, miserosq; leuamen olympo  
 Conciliet tanquam primos qui passus agones,  
 Nouerit humanam fragiles non posse ruinas  
 Ferre manum, populo ueluti se donat inermem,  
 Offerat & seipsum stolidæ pro crimine gentis.

Nemo tridentigerum præsul sibi iactat honorem  
 Hunc nisi celsa uocent. Aaron ut coelicus ales  
 Sceptra dedit, pariter clarum sibi Christus honorem  
 Non tulit Antistes fieret, sed ab æthere celso,  
 Vox audita fuit: meus es tu filius, ipsum  
 Te genui hocce die, rursus uox altera dixit:  
 Melchisedechis habes æterno flamine numen.

Effudit quondam lachrymas, nec sparsit inanes,  
 Quo saluum faceret ualido clamore precantem,  
 Audijt omnipotens insomnes aura querelas.  
 Is licet à supera cessisset origine magnus,  
 Ille tamen didicit super his quæ passus, habetq;  
 Quam faciant humiles pergrata piacula sensus.

Vt bonus Antistes consumptis usq; diebus  
 Omnibus æternæ posuit uexilla salutis.  
 Melchisedech sacra uelut alter origine uates,

De quo sermo subest nobis tractandus & ingens  
 Copia uerborum grandi reseranda cothurno.  
 Obtusi ingenio memores non carpitis auras,  
 Quum uos grandis apex, quum uos heroica uirtus  
 Ad tempus faciunt uel debent ferre magistros,  
 Edoceant qui uos primæum numen egetis  
 Lacte quibus sit opus, stabiles non prenditis esca  
 Omnis enim lactus consors sit flaminis expers,  
 Paruulus hac de re grandæuos fortior esca  
 Nutrit, & in solidum uertuntur pabula corpus.  
 Consuetudo graues sustentat peruia sensus,  
 Spectat & inde bonus quid tum malus implicet index.

Capite vi. Apostolus addit ea quæ  
 uult dimittere, ac quibus acceptio sicut  
 doctrinæ est impossibilis, & quibus sit  
 conueniens & utilis,

**I**Ntermittentes fidei primordia sacra.  
 Mollibus abiectis heroica ad arma feramur,  
 Ne uos poeniteat discussa elementa subire,  
 Sisyphias & opes, iterum baptisma, fidemq;  
 Impostasq; manus sentire tonantis & iras  
 Iudicis, hoc equidem faciemus, ab æthere summo  
 Cedet ad ima Deus, fas est credamus id ipsum,

Quod semel illustres fuerint qui dona sequuti  
 Coelica, participes fieri quæ spiritus adflat.  
 Gustauere patris uerbum uiresq; tremendas  
 Venturi secli, sed lapsos rursus in orcum  
 Pœnitet erroris cecidisse, flagella nouantes  
 Vnigene Christo, iactantes inde triumphum.  
 Terra bibens hymbres quæ frugi germinat herbam  
 A quibus excolitur supero benedicta tonante  
 Laudatur, reprobæ & maledictio proxima tellus,  
 Quæ tribulos, spinas, uepres incendia profert.  
 Optima de uobis confidimus acta, saluti  
 Tum uicina bono iuuat hoc sermone loquamur.  
 An Deus ingrato suspendit in axe laborem.  
 Nomine cuius opem miseris præfertis at ipsum  
 Officium potuit dextras implere salubres.  
 Vnum quemq; uirum cupimus demonstrare eandem  
 Pronosin ac studeat rectos attingere calles.  
 Ne uos efficiat despecta potentia pigros,  
 Aemula sed uirtus aliorum exempla sequatur,  
 Ut quos alma fides, patientia gestat in altum.  
 Promittens Abrahæ (non quem iuraret habebat  
 Maiorem) per se iurauit olympicus autor,  
 Multiplicabo tuum & benedicam in secula nomen  
 Longanimis uates meruit promissa tenere.



Ast homines iurant supra se numen, habentq;  
 Iuramenta suum liti supponere finem.  
 Consilium statuens heredes fixit in illa  
 Parte Deus duo sunt quæ immobilis anchora firmat,  
 Species animæ stabilis, sequitur seruator Iesus,  
 Factus in æternum diuino iure sacerdos.

Cap. VII. ostenditur excellentia sacerdotij Christi cōparando Christū ad Melchisedech, cuius sacerdotium ostenditur excellentius esse sacerdotio Læuitico cum eiusdem necessitudine.

**M**elchisedech hic rexq; Salem, summiq; sacerdos  
 Numinis, è bello redeunti à cæde potentum  
 Obuius est Abraham, cui uir benedixit & illi  
 Cunctorum decimas diuisit, & inde uocatus  
 Iusticiæ Dominus, rex pacis, nec fuit ullo  
 Vir genitore satus, sine matre & origine prolis  
 Tempus habens nullum quo coeperit esse, nec usquam  
 Absoluens uitæ quos posset claudere fines.  
 Ille Dei nato similis, manet usq; sacerdos  
 Aeternus. Spectate uiri quàm maximus autor  
 Ille sit, & decimas cui Abraham patriarcha remisit  
 Vatibus ex Leui genitis assumere passim.

Vas erat in populo decimas, fratresq; fuissent

De lumbis Abrahæ, cuius non clara propago,  
 Annumeratur eis sumpsit de patre tributum,  
 Cui quoq; facta fuit benedictio dextra, perennis  
 Huic benedixit apex, minor à meliore probatur.

Hic equidem decimas morientum funera captant,  
 Contestatur ibi quia felix temporis ævum,  
 Pontificalis habet longum præstantia nomen.  
 At Leui decimas Abrahæ persoluit, adhucq;  
 Dum rex Melchisedech illi fuit obuius, ipse  
 In patrijs lumbis uatum cessura propago  
 Semen erat, quid adhuc res poscit ut inde sacerdos  
 Melchisedech alius fieret, nec in ordine posset  
 Ex Aaron dici, fors si præstantior esset,  
 Leuitica manus sub qua plebs iura notauit?  
 Maiestate patrum translata fitq; necessum,  
 Ut data proscriptæ fuis translatio legis.

De quo sermo subest, tribus altera fertur, & ex quo  
 Præsto fuit nullus flammis qui poneret aris.  
 Prodiit ex Iuda noster seruator Iesus,  
 Illa tribus magno non unquam cognita Mosi,  
 Deq; sacerdotum numero nil mysta loquutus.

Amplior exempli res noscitur ordine uates  
 Melchisedech, alius si surgat & inde sacerdos  
 Qui non per legem carnalis dogmatis auctus,

Robore uirtutis, sed factus in omnia princeps,  
 Secula testatur diuina prophetia uerbum.  
 Stemma coronati sacer ò eterne sacerdos  
 Melchisedechis habes reprobant stata prisca uetusti  
 Temporis, instabilis lex talis inutilis extat,  
 Quæ nihil alicui quod recta probaret amissis.  
 A tergo melior spes uenit, ad æthera ciues  
 Quæ duce transferimur, stabili sub pondere uerbum  
 Quod iuratur habet, quidam sine numine uates  
 Iurato fiunt. Hic autem mysta perennis  
 Numine iurato, nec uerbi pœnitet illum.  
 Qui sacra iurauit, per secula sedere tribunal,  
 Fœderis intantum melior fit sponsor Iesus.  
 Plures multo alij facti sunt ( creditur ) illo  
 Iure sacerdotes, quod eis diadema sonaret  
 Aeternam uitam, quia rex hic magnus in æuum  
 Permanet æterni cuius sunt tempora, menses,  
 Imperium sine fine tenet saluare potestq;  
 Qui superas partes inuisere, & alta per ipsum  
 Robur habent. quorum rapiuntur in ardua mentes  
 Interpellat homo uiuens, quo talis adesset  
 Antistes nobis sacer innocuusq; decebat,  
 Integer, usq; potens, & impollutus & insons,  
 Celsior æthereis magnatibus ille necessum

Non habet ut multi pro crimine sacra rogaret,  
 Exhinc pro populo, semel hoc effecit haruspex  
 Noster in æternum rex legislator Iesus.

Rex equidem sacros homines de more uetusto  
 Flaminas instituit scelus & infirma tenentes,  
 Iurisiurandi tamen hic post tempora legis,  
 Sermo ducem stabilit, regnat qui sanctus in æuum.

Capite VIII. ostendit Christum esse me-  
 liorum sacramentorum ministrum mini-  
 stris ueteris Testamenti.

**H**æc sit summa. Poli residet qui magnus in arce,  
 Antistes nobis supereminet, atq; sacerdos  
 Autor & immense molis, qui sustinet orbem.

Quemq; Deus finxit, nec homo sub imagine plastes

Omnis enim flamen qui sacris præsidet aris,  
 Illud adesse rogat quod mysticus offerat index,  
 Sit licet in coelis, terras tamen implicat omnes

Ad legis modulos, illi quoq; sacra feruntur  
 Dona: sub exemplis parent coelestibus umbræ,

Talia montanus captans oracula Moses

Audiit, omnia sic ueluti monstrata sub alto  
 Monte, ministerium quanto sortitur, habentq;

Grandius, is tanto melioris arista figura,

Tum mediator adest, quod idem melioribus auris



Olim sanctum, quod si prior illa uacasset  
 Crimine culpa, locum nil uasa secunda tenerent.  
 Ecce dies uenient audis Israël, & ipsum  
 Quod pepigi fœdus, stabiles firmabo columnas,  
 O Iudæa domus noua rex mysteria iungam.  
 Non ea quæ priscis quondam prælata fuere  
 Patribus, Aegypti uel quando finibus ipse  
 Eduxi populos miseratus præsul inermes.  
 Post mea fœdifragi soluerunt pacta, proteruos  
 Quos ego despexi, mea dextra retrusit ad inum.  
 Hoc testamentum domui dispono superba  
 O manus Israël, hoc postquam uideris annos,  
 Ipse dabo sacras in candida pectora leges,  
 Ille mihi populus pariter Deus ipse uocabor.  
 Non docta superit pro gente didascalus usquam  
 Qui præceptoris preconis & arte fruatur  
 Dicat & in uulgus proprium gens nosce tonantem.  
 Omnes quippe scient quod sim deus, unde scelestis  
 Laxabo ueniam, nec res memorabor iniquas.  
 Tum noua mandabo ueteres confundere ritus  
 Proxima tunc fato est, dum res antiqua senescit.

Capite i x. tangit Apost. ea quæ fue-  
 runt in mysterio ueteris testamenti, &  
 ex his arguat Christi ac nouæ legis dig-  
 nitatem.

**D**ia triumphales iam dudum gloria pompas  
 Solennesq; habuit ueteris præstantia formæ  
 Sacrorum ritus, ascendit & ætheris axem.  
 Quam speciosa domus candelabra, mensa cuiq;  
 Propositi panes, locus hic habitatio sancta,  
 Hic uelamentum, sanctorum sancta uocabant.  
 Thuribulum aureolum spectasset, foederis archam  
 Auro prætextam, serualet ut aureus orbis  
 Manna saporiferum, utrides ibi florida ramos  
 Virga Aaron, ueteris Testamentiq; tabellas,  
 Lucidus inspector Cherubin duo & arce notasset.  
 His ita cõpositis Leuitæ prima subibant,  
 Phana sacrosanctum ponentes munus ad aras.  
 At semel Antistes solus penetrabat in anno  
 Antra secunda domus multo cum sanguine uulgi.  
 Hinc proprium lachrymans tundeat pectora crimen,  
 Spiritus unde sacer nondum cœlestibus auris  
 Hoc docuerat iter quò sanctos itur ad axes,  
 Non aliud dederat sortis præsaga futuræ  
 Ardua mens, præsens sonat hæc sententia tempus.  
 Iuxta quem celebres uulgo portantur ad aras  
 Munera, quæ solis nequeunt præstare nitorem.  
 Vultibus, ora licet, faciesq; pientur abundo  
 Flumine, iusticias carnis ceu præferat usquam,

Præsul item Christus felix auriga futuri  
 Muneris, hoc grauius templum quandoq; subiuit  
 Haud manibus factum his, non ista parte resultat  
 Sanguine quum proprio sese rex immolar, hircis  
 Bubus item parcens, æternas repperit ædes.

Si cruor hircorum, uitulæ si puluer inanis  
 Efferat infectos ad carnis lustra penates,  
 Quanto iure cruor Christi conspersus, at ipsum  
 Se tulit infontem uelut hostia prona tonanti  
 Inferuire Deo, superis nos ille locaret  
 Sedibus illustres mira uirtute superbos.  
 Vnde noui mediator adest nunc fœderis huius  
 Quo fato cedente patres ad summa uocati  
 Mortibus explosis regnare putentur olympo,  
 si testamentum nobis ius donet, idemq;  
 Ac testatoris mortem, formatur ab ipsa  
 Morte datam, sine qua uiuens hoc iure careret,  
 Haud prius inualuit nisi fuso sanguine, Moses  
 Perlecto legis mandato sumpsit hysopum  
 Sanguine aqua tinctum, librum his aspersit & omnem  
 Antistes populum dicens: hic sanguis & ara  
 Fœderis antiqui quod uobis tradidit equo  
 Iure Deus, domus ipsa tonantis, & omnia fuso  
 Vasa ministerij fuerint adperse cruore.

Scilicet

Scilicet adpersus mundaret ut omnia sanguis,  
 Quo sine nulla foret turpis demissio culpa.  
 Ergo sub exemplis uelut hæc cœlestibus adsint  
 Lustrari superest, melior purgatio necdum  
 Hostia quam præsens, Christus congressus ad ima  
 Nonne manufactas nihilo propè fecerat ædes  
 Sedibus acceptis quas maximus insidet autor ?  
 Regius indubiè plasmator possidet altum  
 Apparetq; sacer nobis orator in arce,  
 Ante pios uultus (cui parent cuncta) tonantis.  
 Non uelut ingreditur qui templum præsul in anno  
 Pro uulgi noxa diffuso tuncq; cruore  
 Offerat ut se uariata cæde quotannis,  
 Hostia centuplices alias ab origine mundi  
 Fatorum cursus pateretur qui semel æstum  
 Funeris extinxit, nunc res apparuit ardens  
 Victima, destructor scelerum consumpta quousq;  
 Secula sint: semel est homini (res proxima uero)  
 Esse, moriq; datum, post hæc ad iudicis ora  
 Sistitur unde semel funebres uenit ad aras,  
 Vtpote multorum noxas & fata piaret  
 Christus, amica salus speratur in orbe secundo.  
 Cap. X. ostendit Apostolus ueterem  
 egem auferre peccatum declarando  
 excel-



excellentiã sacerdotij Christi, atq; eius  
sacerdotio esse firmiter obediendum.

**V**elamenta fouens ea non est pacis imago  
Lex, sed aperta boni dat solum signa futuri,  
Creditis acceptos superis effundere cantus,  
Annua quod faciant templis holocausta ministri?  
Hec mihi plus æquo pars creditur ora cruore  
Fœda lauentur, eo dum sint exortia culpæ.

Accedens igitur nostrum rex Christus in orbem  
Intulit altithrono Deus aurea uerba tonanti,  
Non holocausta tibi, placuit neq; uictima cœlo,  
Aptatum corpus donasti sanguis & hircus.  
Nil pro delicto tibi sunt accepta, subinde  
En uenio dixi, de me sacra pagina scriptum  
Ventilat: ut faciam tua quæ sit honesta uoluntas  
Reprobat incensum cor data modestia, numen  
Clamat habere, polo tanquàm sit fluxa uoluntas,  
Qua sanctum gerimus per secla perennia nomen,  
Qua semel oblatus Christi cruor, uide sacerdos  
Aris cotidie candentibus alma ministrat  
Dona, licet ueteres non possint soluere noxas.  
Vna Deo tantum placuit pro crimine mundi  
Hostia lata, sedens in dextra sede tonantis  
Ille quid? expectat donec curuentur adacti

Facta scabella suis pedibus uulgariter hostes,  
 Vna quidem multos oblatio fecit in æuum  
 Sordibus ablutos, firmarunt minima fœdus.  
 Aliges æthereo descendens spiritus orbe  
 Dixit, ego ueniens pactum testabor ad illos,  
 Hisq; dabo leges quas stellifer ambit Olympus,  
 Inscribamq; notas in cordibus atq; scelestos  
 Laxabo uenia, nec res memorabor iniquas  
 Amplius, unde subest ueniæ collatio? nunquid  
 Altera pro uitijs laxanda est uictima? fratres  
 O delecta manus spes, ac fiducia, numen.  
 Introitusq; sacer produntur sanguine Christi?  
 Ecce sacerdotis radians diadema, Deiq;  
 Nunc referata domus, cœlorum panditur axis,  
 Si uos æqua fides, diuæ confessio laudis  
 Duxerit ablutos procures lustralibus undis,  
 Promissas quid opes, quid cœlica dona moramur?  
 Mutua fraternas charites dilectio iungat,  
 Largifluasq; manus inopes uenerentur amici,  
 Quando dies instat, quum uenerit hora salutis.  
 Et nos peccandi quum tentet prompta uoluntas  
 Nunc pro peccatis non linquritur hostia, quædam  
 Horribilis stupidas sententia percutit aures  
 Iudicis, ardentes subeunt pectuscula flammæ,

Perpe-

Perpetuosq; mouent miseris cruciatibus ignes,  
 Irrita si faciat legis preconia quisquam,  
 Vel tribus aut binis moritur pro testibus, ulla  
 Nec pietate cadit, quantomagis usq; proteruus  
 Deteriora necis sacræ tormenta meretur,  
 Qui patris æterni genitum, qui foederis arant  
 Polluerit, sub qua dos mystica, flamen & ipsum  
 Respuerit, dæmens quem gratia rara coronet ?

Scinus & hoc certe qui dixerit, ultio restat,  
 Hæc ego retribuam populum qui iudicet ultra  
 Notus in Israël qui conspicit omnia censor,  
 Horrendumq; manus uiui sentire proteruas  
 Iudicis, ultrices rapiunt præcordia curæ  
 Succurrant duri quos nunc hac parte labores  
 Sustinuisse iuuat, rutilos dum luminis orbis  
 Certatim rapuit teneræ probitatis acumen.  
 Acribus opprobrijs etiam spectacula facti  
 Fortunæ comites compassi duriter actis.  
 Tum bona qui rapiunt æquo suffertis amore  
 Grandia perpepsi meliorem creditis exhinc  
 Sortis habere modum, quare fidentia uobis  
 Insit, honorificæ cuius sunt præmia sedes.

Vos decet ut superis uisum est patientia, donum  
 Hoc fluit è cœli promissum sydere, munus

Sumite quaeso datum, ueniet uenturus & hospes  
 Qui non tardabit, uir iustus uiuit ab ipsa,  
 Quæ mihi sacra fides, quod si se subtrahit illa,  
 Haud mihi rem gratam discos sententia profert  
 Non sumus ut credo subtracti gratia foetus,  
 Sed genus electum, sacri foetura decoris.

Capite XI. ostendit Apostolus Christo  
 subijci quid sit, atq; fidem describens  
 multipliciter eam commendat.

**E**ST cœlo demissa fides substantia rerum,  
 Quas optant animi, cuius non præstat imago  
 Sese uisibilem, placuit res illa uetustis  
 Vatribus, unde sciunt homines aptata fuisse  
 Secla: fide: uerboq; Dei: quo uisa mouente  
 Ex inuisibili traducta uenire probantur  
 Pluscula fecit Abel fidei ratione Cayno  
 Grator, immoto suscepta fuere tonanti  
 Dona fide meruit pro tanta iustus haberi  
 Relligione pater, fiunt sacra munera testes,  
 Vir defunctus adhuc loquitur, translatus olympo  
 Immortalis Enoch tutus secessit, & hospes  
 Raptus ab Empyreo tenuit loca celsa uocante.  
 Ante uiri raptum uisus placuisse tonanti  
 Clarus amor fidei, radians & amoris honestas.



Absq; fide gratum nullus dat germen olympo.  
 Quem Deus omnipotens uocat ut uir credat oportet.  
 Esse Panomphæi robusta statumina regis,  
 Numerum & autorem grato sua dona petenti.  
 Gesta Noëmus habet uersu memoranda, fidelis  
 Credidit accepto mœstissima numine uates  
 Tempora mortales damnare furentibus undis,  
 Prouidus ille suis fabricauit amoribus archam.

Ille fide mundum correxit, mansit & hæres  
 Iusticie memorans Abrahæ felicia patris  
 Fata canam patrios delinquens impiger axes,  
 Nescius exiuit quò pergeret : exul ab orbe,  
 Ac uelut extorris promissas uenit ad ædes,  
 Haud humiles habitare domos patriarcha decoris  
 Erubuit, nec opes illic firmare superbas.  
 Ille suo generi nactus noua regna, nepotes  
 Prætulit egregios, per tempora longa tenentem  
 Fundamenta domus sperabat adesse : fidelis  
 Sarra pareas meruit, præter data iura uocari.  
 Credidit illa Deum promissis esse fidelem,  
 Nascitur hinc soboles uni millena sepulto,  
 Ad cœli numerum stellarum scetus abunde  
 Creuit, & ad magnos uenerunt pignora mensas,  
 Hi non acceptis hac sancti luce uocantur

Fœderibus manes, at longa prophetia sortem  
 Vidit, ut hos coleret peregrinus & incola fines  
 Qui memorant tales (patriam se quærere dicunt),  
 Historias patriam si quis meminisset, & unde  
 Pes egressus erat, potuisset & inde reuerti,  
 Nunc autem melior fortuna reducit in arcem  
 Cœlestis patriæ, domus est ea regia mundi.

Non igitur Deus est confusus imagine uocis,  
 Si Deus est horum, sedes ac regna parauit  
 Dulcibus his animis, Abrahæ memoretur in æuam  
 Religiosa fides, tentatus ab æthere summo  
 In proprium uoluit natum scire, manusq;  
 Nec serus à cultro genitor traxisset atroci,  
 Ni sacer auspicio uenisset sedulus hermes.  
 Ad quem cœlestis quondam sua fata locutus  
 Induperator ait? suberit tibi longa propago  
 Isaaci soboles, sic credens traxit ab umbris  
 Defunctos manes, fuit hinc sententia ueri  
 Aemula dum fidei memoro præfagia, nunquid  
 Isaacus dixit natis patriarcha duobus,  
 Viuite felices? moriens benedixit Ioseph  
 Rex Iacob natis, eius fastigia uirgæ  
 Pronus adorauit, moriens prædixit Ioseph  
 Israëlitas quo tandem numine cruda

Solueret Aegyptus, curauit & ossa sepulchro  
 Mandari, Moses aliquot post tempora natus  
 In patrijs domibus latuit formosa propago,  
 Regis ab edito renuit pater usq; cruentas  
 Commaculare manus, grandes cum uenit ad annos  
 Regia progenies, Pharaonis in æde uocari  
 Noluit eximius captare nec omnia uates,  
 Delitiosa domus, nec gaudia uana prophanæ.  
 Maluit adfligi Domini cum gente, potentes  
 Quàm plebis gazas uultu tractare superbo.  
 Viderat ille minas, strages opprobria Christi,  
 Nouerat & uates quali sub agone ruinas  
 Infelix populus miseranda morte subiret  
 Imperiosa fide Pharaonis sceptrâ reliquit  
 Regis, & horrificas nusquàm tremebundus erynnes  
 Extimuit, Domino qui se non omnibus infert  
 Visibilem tribuit, uelut alta negotia cœli  
 Prouidus interpres sub aprica luce notasset.

Pascha fide sparson celebrauit sanguine foetus  
 Ne qui uastabat prim. euos laderet undas  
 Gurgite siccato transiuit & æquoris, unde  
 Corruit Aegypti species decepta superbae.

Nonne fide muri Hierici cecidere diebus  
 Lustrati septem? meretrix cum gente proterua

Non pe-

Non perijt capiens geniali pace tyrannos.

Hoc quid adhuc referam? uereor ne plura loquentē  
 Deficiat tempus. Gedeon, quid Samson, Iephte,  
 Quid Dauid, Samuël? Baracus, sanctiq; propheta?  
 Fortia regna fide uicerunt. iusta sequuti  
 Sensa, repromissas & opes habuere tributim,  
 Obturauerunt bellaces ora leonum,  
 Ardentes madido tinxere sub ære flammæ,  
 Fatales gladios, & martia castra fugarunt.  
 Conualuere uiri fortes in bella, tyrannos.  
 Verterunt, matres defuncta luce maritos  
 Suscepere alij fracta ceruice subacti,  
 Sic uoluere mori uitæ meliora petentes  
 Gaudia portârunt alij ludibria famæ,  
 Carceris experti sinebria uincula duros  
 Senferunt lapides, secti tentantur, & illi  
 Occisi gladio manibus cecidere cruentis.  
 Pellibus indutos mellotæ mundus egentes  
 Vidit, & adstrictos indignus pertulit orbis,  
 Montibus errantes inter spelæa ferarum.  
 Hicq; omnes fidei generoso teste probati,  
 Non acceperunt ullo promissa tonante  
 Fata deo meliora suis donante uicissim  
 Rara per insignes graderentur sceptrâ triumphos.



Capite XII. inducit Apostolus ad mala pœnæ toleranda, ac mala culpæ uitanda, ostendens conditiones legis ueteris atq; nouæ.

**N**Os igitur tantis obduti testibus, omnes Soluentes pondus sceleris, curramus, apertum Experiamur opus, iactata est alea belli.

Autorem fidei primo spectemus Iesum  
Lumine, qui crucifer contempsit gaudia mundi  
Huius, & in dextra sedet omnipotentis olympi,  
Suspiciatis eum duros qui magnus agones  
Sustinuit, fessi laceros ne quando labores  
Deficiant sensus animis perferre cruorem,  
Nondum pro uitijs grauibus fudistis atroces.  
Flaminis obliti celebres hoc numine natos  
Adloquitur, mea progenies, mea dulcis imago  
Mandatum domini noli postponere, aberrans  
Si modo taxeris, nedum te iussa fatigent,  
Quem deus auctor amat, cito punit, amata flagellis  
Castigat, charis grato se uultibus offert.

O quis erit natus quem non pater arguat, estis  
Legibus à patrijs semoti? querite patrem.  
Estis adultera gens, nec puro semine proles.  
Nonne patres carnis reuerentia prisca magistros,

Docto

Doctoresq; habuit? multo genialis honestas  
 Spirituum patres obseruet, uiuere possis?  
 Posce salutiferum uitalia dona parentem.  
 Temporibus paucis sua nos monimenta docebant  
 Prisci summates, hic nempe quod utile fiat  
 Sanctificabit opus, præsens doctrina doloris  
 Cernitur esse, graues posthac latura triumphos,  
 Pacatumq; diem, pro luctu gaudia moestis  
 Reddet olympiferum superis mirantibus orbem

Quare submissas extollite in ardua mentes,  
 Ac rectis pedibus per sanctos pergite calles,  
 Ne quid aberrantes infelix semita gressus  
 Fallat, habete uiri pretiosa metalla quietæ  
 Pacis, homo siue qua nullus conscendet olympum  
 Visurus faciem uultus quæ perficit omnes  
 Contemplemur & hoc ne uobis gratia desit  
 Aetheris, aut radix infelix usq; misellos  
 Impediat, cursus ne uos tendatis in altum.

Aut quis adulter agat sua supra prophanus ut Esau.  
 Qui sua præpingues epulo desumpsit ob escas,  
 Quo minus (heu doluit) succederet improbus heres  
 Amissas et opes lachrymans nec habere dolendo  
 Vir potuit, nequeunt succedere fata negatis.  
 Ad uocis tonitru non accessistis ad ignes

Omnicremos, celeres nubis uentiq; procellas,  
 Quò planctus fiat, penetretq; oratio cœlum,  
 Ne nobis dominus bacchans uelut ira loquatur,  
 Hi non portabant quod cœlica fama sonaret.

Bestia si montem conscenderit, omnis ad illum  
 Petra ruet, grauis hinc pulsabat grando ruentes

Nōnetulit Moses, me terruit, aëris astrum ?

Ad Sion montem, uenistis ad æthera ciues.

Turris Hierusalem uisuri pergama, coetusq;

Angelicos, primas inter qui fulgida sedes

Astra sedent, ubi rex ac induperator Iesus

Infantes animas æquato pondere librat

Sanguinis hinc melior facta est aspersio quondam

Quam clamauit Abel fraterna cæde subactus

Quare ne uestrum forsā quis amica loquentem

Spernat, in his terris & uos timuisse licebit,

Qui cœlum terramq; bonus signauerit autor.

Hæc iubet ut maneant, idem moueantur & illa.

Quæ mansura subest nobis hæc gratia, ob ipsum

Aeterno patri summos pandamus honores,

Qui deus est noster lux, fax & olympicus ignis.

Capite XIII. hortatur Apostolus ad  
 operandum bonum erga proximos sei-  
 plos atq; prælatos, ac pro se orandū pe-  
 tit &

tit & suæ orationis beneficium impartitur cum salutatione.

**S**ic fraternus amor communes iungat amicos  
 Si uobis maneant charites, memorate receptos

Hospicio uultus, quos angelus ore latebat.

Vinctorum memores uelut uno fasce ligati.

Vna domus statio uobis unoq; morantes

Corpore, quàm foelix thalamus qui clausit uno

Impolluta sinu commertia, diserte mœchos

Iudicio nunquàm caruisse tonantis, auarum

Odit apex cœli, quod non præsentia pectus

Dona replent nostra contenti sorte fruamur.

Ipse pater rerum fatalis & ineluctus autor

Dixit: ego nunquam te desero candida proles,

Vnde pios superest conuertat in æthera uultus

Mens interna loquens Dominus mihi rector & acer

Auxiliator adest, quid homo mihi perferat hostis

Non paueo tutus. Sacros memorate prophetas

His quondam uobis usos sermonibus, horum

Et seruate fidem, moresq; trahatis auitos.

Qui fuit hesternus deus idem Christus Iesus

Tempore, is est hodie, suberitq; per omnia princeps

Secla perennis, ego peregrina poemata nolim

Doctrinas uarias, si sensus prodat inertes

Improbitas sophiæ. succurrit clarior escis




Gratia prompta fide, superest quod numen habemus  
 Pandere sacrifici nec eo sunt munere uates,  
 Quorum etenim sanguis pro crimine fertur ad aras,  
 Ut iubet antistes horum funesta feruntur  
 Corpora pro foribus castrorum, per quod Iesus  
 Signifer exemplar foris horrida funera censor  
 Creditur (ut populum placita sibi morte dicaret )  
 Passus, eo Christi uestigia clara sequamur  
 Huius ad exemplum conuitia surda ferentes.

Nostra domus non est quàm supputat infimus orbis,  
 Sunt aliò sedes in regna futura petendæ.  
 Ergo deo laudes, mysteria sancta per ipsum  
 Deius, id est fructum labiorum culmen olympi  
 Audiat, id quod agat mens libera pandite munus  
 Talibus officijs Deus ipse uocatur in orbem,  
 Qui uobis præsumt claros timeatis honores,  
 Vendita & his faciles submitte colla ministri,  
 Ipsi etenim uigilant pro uestro munere patres  
 Hac ratione uiri commissa talenta gubernant,  
 Quo letos ducant sub uestra pericula uultus  
 Supplicuis precibus uates orate tonantem  
 Iungamur superis uobiscum ciuibus, ipsis  
 Optima de uobis fruges fore creditur id uos  
 Deprecor in uestro, ut sospes & incola cætus

Restituat,

Restituat, claris uos deniq; moribus aptet  
 Fœdere & æterno mundi fabricator, Iesum  
 Nos qui & pastor oues de mortis face reduxit.  
 Vos ita perdoceat sua quæ sit amica uoluntas,  
 Quod precor id supero cumulate quod æthere dignum  
 Per Christi numen superos ueniatis ad orbes.  
 Hic ubi rex regum ( cui gloria præsidet autor  
 Omni regens) simplex deus immortalis in æuum  
 Quod nulli claudunt in secli tempora fines.  
 Per paucis uestrum scripsi uos sumere fratrem.  
 Cum quo (si statim ueniat) uos spero uidere,  
 Præsulibus uestris, sanctisq; notate salutem.  
 Vos Itali fratres fœliciter esse precantur,  
 Grata salus uobis summo sit plena tonante.

EPISTOLARVM D. PAVLI  
 FINIS.

 **AVRELI PRV**  
**DENTII CLEMENTIS VIRI CON**  
*sularis Enchiridion noui & ueteris*  
*instrumenti.*

*Carmina sunt Dactylica Heroica.*  
**ADAM ET EVA.**



**V**A columba fuit tum candida,  
nigra deinde  
Facta per anguinum maleuada  
fraude uenenum.  
Tinxit et innocuum maculis sor  
dentibus Adam

**Dat nudis ficulna Draco mox tegmina uictor.**

**ABEL ET CAIN.**

**F**ratrum sacra deus nutu distante duorum  
Aestimant accipiens uiua, & terrena resutans.  
Rusticus inuidia Pastorem sternit, in Abel.  
Forma animæ exprimitur, caro nostra in munere Cain.

**ARCA NOE.**

**N**uncia diluuij iam decrefcentis ad arcana  
Ore columba refert ramum uiridantis oliuæ:  
Coruus enim ingluuie per foeda cadauera captus  
Hæferat, illa date reuehit noua gaudia pacis.

**AD ILICEM MAMBRAE.**

Hospitiâ

Hospitium hoc domini est, illex ubi frondea mambrae  
 Armentale senis protexit culmen, in ista  
 Risit Sarra casa, sobolis sibi gaudia fera  
 Ferri, & decrepitem sic credere posse maritum.

## MONIMENTVM SARRAE

Abraham mercatur agrum, quo conderet ossa  
 Coniugis, in terris quoniam peregrina moratur  
 Iusticia, atq; fides, hoc illud milibus emptum  
 Spelæum, sanctæ requies ubi parta fauilla est.

## SO MNIVM PHARAONIS.

Bis septem spicæ, uaccæ totidem Pharaoni  
 † Per somnum uisæ portendunt dispare forma, † Portendunt  
 † Vberis atq; famis † duo per septennia tempus † dum uisæ per so  
 † Instare, hoc soluit patriarcha interprete Christo. † mnum di-  
 † IOSEPH A FRATRIBVS † spare for-  
 † agnitus. † ma.

Venditus insidijs fratrum puer, ipse uicissim  
 Cratera in fratris sacco clam præcipit abdi,  
 Utq; reos furti Ioseph tenet, auctio fallax  
 Proditur, agnoscunt fratrem, † uaniq; pudefcunt. † ueniãq;

## IGNIS IN RVBO.

Sentibus inuolitans deus igneus ore corusco  
 Compellat iuuenem, pecoris tunc forte magistrum.  
 Ille capit iussus uirgam, fit uipera uirga,

Soluít



Soluit uincla pedum, properat Pharaonis ad arcem.

ITER PER MARE.

Tutus agit uir iustus iter, uel per mare magnum,

† *sensim* Ecce dei famulis scissim † freta rubra dehiscunt,  
 Quum peccatores rabidos eadem freta mergant,  
 Obruitur Pharao, patuit uia libera Mosi.

MOYSES ACCIPIT LEGEM.

Fumat montis apex diuinis ignibus, in quo  
 Scripta decem uerbis saxorum pagina Mosi  
 Traditur, ille suos suscepta lege reuifit,  
 Forma sed his uituli solus deus, & deus aurum.

MANNA ET COTVRNICES.

Panibus angelicis albet tentoria patrum,  
 Certa fides facti, tenet urceus aureus exin  
 Seruatum manna, ingratis uenit altera nubes,  
 Atq; auidos carnis saturat congesta Coturnix.

SERPENS AENEVS IN EREMO.

Feruebat uia sicca Eremitis serpentibus atris,  
 Iamq; uenenati per liuida uulnera morsus  
 Carpebant populum, sed prudens aere politum  
 Dux cruce suspendit, qui uirus temperet anguem.

LACVS MYRRHAE IN EREMO.

Aspira gustatu populo sitiente lacuna  
 Tristificos latices stagnanti felle tenebat,

Moses sanctus ait, lignum date, gurgitem in istum  
Conijcite, in dulces uertentur amara sapes.

## DE XII. FONTIBVS ET

LXX Palmis.

Deuenero uiri Mosi duce, sex ubi fontes,  
Et sex forte alij uitreo de rore rigabant  
Septenas decies palmas, qui mysticus helim  
Lucus apostolicum numerum libris quoq; pinxit.

## XII. LAPIDES IN EREMO.

In fontem resluo Iordanis gurgite fertur,  
Dum calcanda dei populis uada sicca relinquit,  
Testes Biffeni lapides, quos flumine in ipso  
Constituere patres, † in formam discipulorum. † Ad

## DOMVS RAAB MERETRICIS.

Procubuit Hiericho, solo astant atria Raab,  
Hospita sanctorum meretrix, tanta est fidei uis  
Incolumi secur a domo spectabile coccum  
Ignibus aduersis in signum sanguinis offert.

## SAMSON.

Inuictum uirtute comæ Leo frangere Samson  
Aggreditur, necat ille feram, sed ab ore Leonis  
Mella fluunt, maxilla asinae fontem uomit ultro,  
Stultitia exundat lymphis, dulcedine uirtus.

## DE SAMSON.

Tercentiâ

Tercentum uulpes Samson capit, ignibus armat.  
 Pone fauces caudis circumligat, in sata mittit  
 Allophylum, segetesq; cremat quæ callida uulpes  
 Nunc hæresis flammæ uitiorum spargit in agros.

## DAVID.

Dauid paruus erat, fratrum ultimus, & modo Iesse  
 Cura gregis, cytharam formans ad ouile paternum,  
 Inde ad delicias regis, mox horrida bella  
 Conserit, & funda sternit stridente Goliath.

## REGNUM DAVID.

Regia mirifici fulgent insignia David,  
 Sceptrum, oleum, cornu diadema, & purpura, & ara,  
 Omnia conueniunt Christo, chlamys, atq; corona,  
 Virga potestatis, cornu crucis, altar oliuum.

## AEDIFICATIO TEMPLI.

Aedificat templum sapientia per Solomonis  
 Obsequium, Regina austri graue congerit aurum  
 Tempus adest, quo templum hominis sub pectore Christus  
 Aedificet, quod gaza colant, quod barbara ditent.

## FILII PROPHETARVM.

Forte prophetarum nati dum ligna recidunt  
 Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis,  
 Gurgite submersum est ferrum, sed mox leue lignum  
 Iniectum stagnis ferrum reuocabile fecit.

Iniectum

ENCHIRIDION.

SIX

CAPTIVITAS ISRAEL

Gens Hebræorum precamine capta frequenti,  
 Fleuerat exilium diræ Babylonis ad annes :  
 † Tum patrios cantare modos præcepta recusat,  
 Organâq; in ramis salicis suspendit amarae.

dum

DOMVS EZECHIAE REGIS.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinq; per annos  
 Præscriptum proferre diem, legemq; obeundi  
 Tendere, tot gradibus, quot uespera texerat umbra  
 Lumine persusis, docuit sol uersus in ortum.

NOVVM TESTAMENTVM.

Aduentus domini.

Aduentante deo descendit nuncius alto  
 Gabriel patris ex folio, sedemq; repente  
 Intrat uirginem, sanctus te spiritus, inquit,  
 Implebit Maria, Christum paries sacra uirgo.

CIVITAS BETHLEEM.

Sancta Bethlem caput est orbis, quæ protulit Iesum  
 Orbis principium, caput ipsum principiorum.  
 Vrbs hominem Christum genuit, qui Christus agebat  
 Ante deus, quàm sol fieret, quàm lucifer esset.

MAGORVM MVNERA.

Hic pretiosa Magi sub uirginis ubere Christo  
 Dona ferunt puero, myrrhaq; & thuris, & auri.

Mira



Miratur genitrix tot casti uentris honores,  
 † quoq; seq; deum genuisse, hominem, regemq; † supremum.  
 summum.

PASTORES AB ANGE-  
 lis admoniti.

Peruigiles pastorum oculos uis luminis implet  
 Angelici natum celebrans ex uirgine Christum,  
 Inueniunt tectum pannis, præsepe iacenti  
 Cuna erat, exultant alacres, & numen adorant.

OCCIDVNTVR INFANTES  
 in Bethleem.

Impius innumeris infantum cædibus hostis  
 Perfurit Herodes, dum Christum querit in illis.  
 Fumant lacteolo paruorum sanguine cune,  
 Vulneribusq; madent calidis pia pectora matrum.

CHRISTVS IN IORDANE  
 baptizatur.

Perfundit fluuio pastus Baptista locustis  
 Sylvarumq; fauis, & amictus ueste cameli,  
 Tinxerat & Christum, sed spiritus æthere missus  
 Testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

PINNA TEMPLI.

Excidio templi ueteris stat pinna superstes,  
 Structus enim lapide ex illo manet angulus, usq;  
 In seclum secli, quem spererunt ædificantes,

Nunc

Nunc caput est templi, & lapidum compago nouorum.

## VINVM EX AQUA FACTVM.

Fœdera coniugij celebrant auspice cœtu  
 Forte † Galilæi, tam deerant uina ministris,  
 Christus utiſa iubet properanter aquaria lymphis  
 Impleri inde meri ueteris defunditur unda.

Galilæis

## PISCINA SYLOA.

Morborum medicina latex quem ſpiritus horis  
 Eructat uarijs, ſuſam ratione latenti,  
 Syloam uocitant, ſputis ubi conlita cæci  
 Lumina, Saluator iuſſit de fonte lauari.

## PASSIO IOANNIS.

Præmia ſaltatrix poſcit funebria uirgō  
 Ioannis caput, abſciſum quod lance reportat.  
 Inceſtæ ad gremium matris fert regia donum  
 Pſalteria, reſperſis manibus de ſanguine iuſto.

## PER MARE AMBVLAT CHRISTVS.

It mare per medium dominus, fluctusq; liquentes  
 Calce terens, iubet inſtabili deſcendere cymba  
 Diſcipulum, ſed mortalis trepidatio plantas  
 Mergit, at ille manum regit, & ueſtigia firmat.

## DAEMON MISSVS IN PORCOS

Vincla ſepulchræ ſub carcere ferrea demoni  
 Pregerat, erumpit, pedibusq; aduoluitur Ieſu.

K

Aſt hominens

Asi hominem dominus sibi uindicat, et iubet hostem  
 † furiare Porcorum † raptare greges, ac per freta mergi.

QUINQVE PANES ET DVO  
 pisces.

Quinque deus panes fregit, piscesq; gemellos,  
 His hominum large saturauit millia quinq;  
 Implentur nimio micarum fragmine corbes  
 Bissen, eterna tanta est opulencia mensæ.

LAZARVS SVSCITATVS  
 à mortuis.

Conscijs insignis facti locus in Bethania  
 Vidit ab inferna te Lazare sede reuersum.  
 Apparet scissum fractis foribus monumentum,  
 Vnde putrescentis redierunt membra sepulti

AGER SANGVINIS.

Campus Acheldemach sceleris mercede nefandi  
 Venditus, exequias recipit tumulosus humanus.  
 Sanguinis hoc pretium est Christi, Iuda eminus arctat  
 Infelix collum laqueo pro crimine tanto.

DOMVS CAIPHAE.

† alta Impia blasphemi cecidit domus † ecce Caiphae,  
 In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.  
 Hic peccatoris manet exitus, obruta quorum  
 Vita ruinosis tumulis sine fine iacebit.

## COLUMNA AD QVAM

flagellatus est Christus.

Vinctus in his dominus stetit adibus, atq; columnis  
Ad nexus tergum dedit ut seruile flagellis.

Perstat adhuc, templumq; gerit ueneranda columna,

Nosq; docet cunctis immunes uiuere flagris.

## PASSIO SALVATORIS.

Traiectus per utrunq; latus, laticem atq; cruorem

Christus agit, sanguis, uictoria, lymphæ, lauacrum,

Tunc duo discordant crucibus hinc inde latrones

Contiguus, negat ille deum, fert iste coronam.

## MONS OLIVETI.

Montis oliuiferi Christus de uertice sursum

Ad patrem redijt, signans uestigia pacis.

Frondebis æternis præpinguis liquitur humor.

Qui probat infusum terris de chrismate donum.

## PASSIO STEPHANI.

Primus inquit Stephanus mercedem, sanguinis imbræ

Afflictus lapidum, Christum tamen ille cruentus

Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi

Hostibus ô primæ pietas † miranda coronæ.

† miseranda

## PORTA SPECIOSA.

Porta manet templi, Speciosam quam uocitarunt,

Egregium Solomonis opus, sed maius in illa



Christi opus emicuit, nam claudus surgere iussus  
 † damnatos Ore Petri, stupuit † laxatos currere gressus.

## VISIO PETRI.

Somniat illapsum Petrus alto ex æthere discum  
 Consertum omnigenis animalibus, ille recusat  
 Mandere, sed dominus iubet omnia munda putare.  
 Surgit & immundas uocat ad mysteria gentes.

## VAS ELECTIONIS.

Hic lupus ante rapax uestitur uellere molli,  
 Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus.  
 Mox recipit uisum, fit Apostolus, ac populorum  
 Doctor, & ore potens coruos mutare columbis.

## APOCALYPSIS IOANNIS.

Bis duodema senum sedes, citharis paterisq;  
 Totq; coronarum fulgens insignibus, agnum  
 Cæde cruentatum laudat, qui euoluere librum,  
 Et septem potuit signacula pandere solus.

## FINIS ENCHRIDII.

ODE

## ODE SAPHICA AD

VNUM MEDIATOREM INVI-

tans Christum, autore Herman-  
no Buschio.

VID tibi humanū genus oro quæris  
Nulla non diuum temere terendo  
Limina, et passim prece, thure, donis,  
Quosq; rogando ?

Sepe non diuos, uelut arbitrare,

Sed meras umbras, mera somniorum

Ficta mendaci simulacra furo

Nomine diuum.

Quos malis uulgo uarie mederi

Grandia aut quædam lucra polliceri

Creditum est, ut spes sua quæq; traxit

Siue cupido.

Sed tamen uere doceatur esto

Quem colis sanctus, ueneransq; uotis

Inuocas, cur non potior, priorq;

Sit tibi Christus ?

Imò non solus magis, unicusq; ?

Quem uoces rebus facilem tuis, te

Anxium quando lachrymosa tristena

Cura remordet.

Quando te mundus, pelagus malorum,

Mors, Satan, poena, furiaeue terrent

Quicquid, & carni trepide uidetur

Triste, & acerbum

Vnicum cum sit miseris Asylum,

Veritas, lumen, uia, uita, per quem

Omnia in caelo pater atq; terris

Facta creauit.

Angelos, uitas hominum, micantes

Syderum flammās, pecudumq; formas

Lucis & noctis spatium, uicesq;

Solis & anni.

Aequor effudit, medioq; terras

Orbe suspendit, fluuios perennes

Addidit, caelo ruitura sparsit

Fulmina & hymbres.

Præter hæc quicquid uiget aut mouetur,

Vllibi, quicquid gremio capaci

Sustinens claudit memorabile omnis

Machina rerum.

Hunc per amissum reparauit orbem

Cœlitus mundo pereunte natum

Matre de intacta, grauidaꝫ tantum

Flamine sacro.

Hunc cine ignoras tibi contigisse

Vnicum ad patrem misero aduocatum?

Hunc cine audiri, nihil huic negari

A patre soli?

Cuncta huic porro tradita esse

In manum nescis, rapit unde nemo

Sola quæ fortem ualidis ligauit

Viribus hostem.

Malleum terræ prius uniuersæ,

Halitus cuius iuga saxeorum

Montium flammât, stygiusꝫ hyatus

Aequora siccât.

Tartaro absorptum, stygiæꝫ morti

Debitum, quo te pretio redemptum

Rere, ab inferni canibus, nigrisꝫ

Faucibus Orci?

Quis luit pro te meritas malorum

Innocens pœnas? scelus expiauit

Quis tuum, diræ tibi detrahendo

Vincla gehennæ?

Cum nec in coelo, nec in orbe uasto

Perdito quisquàm tibi subueniret



Præter hunc, qui te miserans redemit

Hostia Christum

Nec minis, nec ui superante cogi

Possset ullius, nisi sponte pro te

Emori uellet, propriaq; morte

Tollere mortem.

Exigens à te nihil huius ergo

Tu nisi ut gratum maneas, memorq;

Muneris tantu, meritiq; recto

Corde uicissim.

Vtq; se fidas ubicunq; solo,

Non creaturus, aditumq; nullus

Ad patrem quæras, nisi se fauorem

Conciliante.

An tibi nondum satis est probatum

Hoc ut auderes ( nihil hæsitando )

Impium cum te moriens redemit

Gratis amore ?

Et suum cælos repetens, Patremq;

Protinus misit tibi septiformem

Spiritum dono pariter, magistrum

Ac Paracletum

Tu tamen demens aliunde frustra

Somnias auram placidæ salutis

Flantem

MEDIATORE CHRISTO.

981

Flantem, & infœlix melioris æui

Ardua captas ?

Haud secus, quàm qui diem ab occidente

Barbarus sperat, nitidum uè solem

Noctis accendit procul unde serus

Lumina uestper.

At times, ne ipsi modo confidenti

A patris dextris, uideare forsàn

Vilior, quàm quo precibus reclinet

Pauperis aurem.

Purpuratorum, truciumq; secli

Principum ritu, Procerumq; leuo,

Elevant quales inopum superba

Fronte querelas.

Congredi solis faciles beatis,

Cæteris duri, facit ille contra.

Subleuat fœlix humiles, sibiq;

Corde litantes.

Pauper idcirco, tenuisq; mundo

Editus uixit, docuitq; pauper,

Pauperis fatus gremio parentis

Paupere tecto.

Pauperes legit comites, superq;

Diuites omnes uidue minuta

Pauperis quantum tria prædicauit

Ore sacro?

Paupere inuectus Solymis A fello

Sedit, arctorum comitante turba

Pauperum, quæuis inopum fidelis

Cura uirorum.

Pauperes dic quos ope destitutos

Dic age infirmos ubi spreuit asper

Cuius humentes lachrymas, precesq;

Repulit unquam?

Imò quàm multis properauit ultro

Ferre cœlestem miseris salutem?

Non opinantes quoties leuauit

Sedulus ægros?

Cuncta Iudææ penetrans, ad omnes

Sponte languentes opifer meabat.

Liberans mentes uitij caducas

Corpora morbis.

Spurtius lepra quid habes? sed ipsam

Nónne dignatus releuare tactu

Nónne & obsessos? quibus est quid oro

Tetrius ipsis?

Hunc tamen uæcors mihi comparabis

Sanguini & carni? genus ô sinistrum

Tun' putas Christum similem caduceæ

Moribus aulæ ?

Ille nec Regum trabes ueretur,

Nec fugit sordes inopis coloni,

Rebus in cunctis studijsq; rectus

Audit utrosq;

Adde quod mitem se, humilemq; corde

Ipse promisit, tibi deprecanti

Hinc bonus pastor uoluit, sacerq;

Dicier agnus

Hinc salutaris cibus, atq; potus

Omnium de se bene sentientum

Hinc amor, uirtus, medicus redemptor,

Et miserator.

Ne quid horreret simile hic tyranni,

Ne quid omnino uitij secundæ

Sortis obstipo tenues suetæ

Spernere collæ.

Cum leo, cum rex, Dominus, creator,

Omnium quæ sunt, & erunt, uocatur,

Ne paue, pro te facit hoc, pio si

Pectore fidis.

Sin minus, mox iam penitus peristi

Deq; promissa patria excidisti

**Fide**



Fide, Saluator tibi quantus extat  
Sydera seruat.

Consulit fesso, tribuit dolenti  
Mite solamen, dubijs periculis  
Nusquam abest, ne quid tua profuturus  
Vota moretur.

Morbus adfligit & celerem medelam  
Hinc roga, terret Lachesis suprema &  
Hunc uoca solum, uolet hic, potestq;  
Auertere solus.

Quicquid horrescis, trepidas, gemiscis,  
Vnica hic uictæ statio carinæ,  
Vnicus cardo, polus, unde fulget  
Stella salutis.

Omnis hoc uirtus referenda caelo  
Fonte decurrit, nihil est, eritq;  
Gloriæ, laudis, fidei, quod hinc non  
Profluat omne.

Omne descendit decus hinc, bonumq;  
Coelitum, nemo sibi gratiæ auctor  
Qua sine, haud ullus stygiæ ora fugit  
Liber Echidnæ.

Quicquid antiqui placuere patres,  
Spiritu quicquid grauidi Prophetæ,

Virgines,

Virgines, matres, uiduæ, probati

Martyres igne.

Gratiæ totum fuit, & profectum

Desuper Donum, tribuente Christo,

Pertinax si quis negat, hunc ut hostem

Iurè cauebis.

Te nec hic quisquàm capiat disertus,

Nec tibi imponant tituli loquaces,

Magna nec magnum per inane sparsa

Nominis umbra.

Vnde quantumuis grauius laboras,

Poenitet si te sceleris per acti

Candide, Christum ueneratus unum

Posce salutem.

Illum ubi supplex fueris precatus

Spiritum mentis renouabit in te,

Vt qui eras coruus modo, cygnus extes

Protinus albus.

Quid rogo uotis alios laceassis ?

Quid malis speras aliunde finem ?

Quid creaturam Domino tibi uis

Anteferendo ?

Ille num Christo potior ? tuiq;

Ille num curam gerit ampliore ?

CARM. DE MEDIAT. CHRISTO

Ille dic quando moritura pro te

Venit Olympo?

Ergo portauit mala tanta pro te

Gratis? hoc fini cruce te redemit

Noxium sanctus, pius impiatum

Ipsè uicissimè

Vt quasi agrestem fugias tyrannum

O uicem indignam meritis supremis

Liberatorem sua plebs, cruentum

Horret ut hostem

Tot licet signis animi fauentis,

Totq; promissis cupide excitantem,

Vtq; se fidat uarie monentem

Mille per artes

Quem fugis? aut quo sine mente, seu quos

Ante cui ponas fugitiua specta

Proprium Christi decus, atq; honorem.

Dans alienis.

Vnus ipse ipse est; solium, thronusq;

Gratiæ, uitæ, ueniæ, speiq;

Nulla quo solo superest relicto

Mica salutis.

ca  
dy  
dx  
dx  
pe  
my  
dy  
er  
gu  
m  
vu  
er  
av  
x  
oo  
E  
av  
s  
m  
er  
m  
m  
m  
o  
er  
m  
E

312100

100.00





